



ENTRALE-FIRENZE
INI
NENCINI
NI



CURTII 1566 ALDUS



BIBLIOTECA







BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE-FIRENZE
ALDINI
II
3
19
RACCOLTA NENCINI


OTIVM
SINE LITERIS
MORS EST
Seneca
Ex Libris Ioannis Nencini
1874





MATTHAEI CVRTII PAPIENSIS DE PRANDII AC CENAE MODO libellus.



ROMAE M. D. LXVI.
Apud Paulum Manutium, Aldi F.

CVM PRIVILEGIO.

ILLVSTRISS. AC REVER.

CAROLO BORROMEO,

PII IIII. PONT. MAX. NEPOTI,

Cardinali amplissimo, Bononiæ Legato,

Raphael Curtius.



VANTOS *labores tulerit, Carole Cardinalis præstantissime, Matthæus Curtius, pater meus, in ueteri medicina restituenda, atque a barbarorum iniuriis uindicanda, Hippocratis, Galeniq. placitis illustrandis, neminem esse arbitror a litteris non alienũ, qui ignoret. uiuit enim recens adhuc, & uiuet, opinor, diutissime uiri eruditissimi, de re litteraria, atque adeo de ipso humano genere optime meriti nomen illustre: uersantur præclara eius ingenii, ac doctrinæ monumenta in manibus atque in ore studiosorum, in celeberrimis Italiæ Academijs, Ticinensi, Patauina, Bononiensi, Pisana, in quibus magna cum laude Philosophiam & Medicinam nouem & quadraginta annos publice professus est, inq. aliis nobilissimis Italiæ urbibus, Roma, Venetijs, Mediolano, Florentia, in quibus scribendo, medendo, quibus poterat rationibus mortalibus consulendo,*

ſuum omne ſtudium, operamq. conſumpſit. Cum autem inter tot labores uiuens animaduerteret, ex multis, quæ partim publice profitendo, auditoribus illa interim excipientibus, docuiſſet; partim ipſe eo animo ſcripſiſſet, ut aliquādo accurate recognita ad communem utilitatem peruulgaret: nonnulla a quibuſdam, non illis quidem maleuolis, ut puto, ſed parū ſane id quod conueniret ſpectantibus, adhuc rudia, nec a ſe ſatis caſtigata in lucem dari: alia a compluribus medicinæ profeſſoribus, qui falſis barbarorum opinionibus ab adoleſcētia imbuti, hominis doctiſſimi ueriſſimæ laudi inuiderent; quosque puderet, ea ſenes fateri eſſe perdēda, quæ imberbes didiciſſent, improbo animo carpi, ac lacerari: quo horū quidem obtrectationem ſuis lucubrationibus, ſub æqui lectoris iudiciū poſitis, retunderet, illorum autē præproperum ſtudium coerceret; adiecerat animum ad illas omnes diligenter examinādas, atque expoliendas: ut, poſtquā a ſe lente probatæ fuiſſent, & extremā manum recepiſſent, publicarentur. cæptum pulcherrimum quo minus perficeret, mors ei ſuperueniens effecit. Hanc ego parentis mei optimam uoluntatem, pro ea pietate, quam eius memoriæ debeo, proque meo iuuandi homines ſtudio, cum mihi haudquaquam negligendam putarē, delegi inter nonnulla illius ſcripta, quæ ab eo ſatis diligenter recognita reperi, elegantē libellum de prandii ac cenæ modo, antea numquam auctoris iuſſu editum, quem primum tanquam maiorum operum

præ-

præcurſorem emitterem, ratus illum nulli non homi num generi gratiſſimum fore, atque utiliſſimum. Iure autem is liber ſub tuo nomine ac tutela prodire debuit, Carole Cardinalis ampliſſime, cum quod eius eſt, qui auunculo tuo Pio IIII. ſemper, dum uixit, deditiſſimus fuit, tum quod a me publicatur, qui non ſolum eiuſdem in eundem uenerationis ac pietatis ſingulari eius erga me benignitate confirmatæ atque uehementer auctæ, ſum heres, uerum etiam mei in te ſummi ſtudii, ſummæque aliquod extare monumẽtum cupio: ut, quæ a te in me officia beneuolentiæ plena proficiſcuntur, ea non male eſſe poſita uideri poſſint.

HOC igitur munuſculum ut libenter ſuſcipias, te ſupplex oro, ſic, ut non illius quidem pretium ſpectes, quod etſi non contemnendum, amplitudini tamen tuæ comparatum, perexiguum eſt, ſed ut eius tantummodo, qui illud offert, ſinceram uoluntatem, animunque tuo clariſſimo nomini addictum reſpicias.

MATTHAEI CVRTII PAPIENSIS DE PRANDII AC CENAE MODO libellus.



VMQVID & in ſecunda, & in aduerſa ualetudine, cena prandio plenior eſſe debeat, complures inter ſeſe diſcordes contendunt: quamuis tam Hippocratis, quam Galeni mens hac in re ſit apertiſſima. Primum dicam, quemadmodum ſanos agere conueniat: tum ad ea tranſibo, quæ ad ægros pertinebunt, & initium ab Hippocrate capiam: ſubinde Galeni rationes, & auctoritates adducentur. Dixit Hippocrates, 2. de ratione uict. prope finem. Semel die comedere emaciat, ſiccat, uentrem ſiſtit: prandere uero contraria facit: clare indicans idem eſſe prandere, & bis comedere, ſemel die comedere, & cenare: ita ut cena ſit omittenda numquam. Idem plane nobis indicat Hippocrates ſecundo de ratione uictus in acutis, textu 22. 24 27. nam qui ſemel die comedebant, prandere non conſueuerunt. Nullus autem inficiari poterit, quando ſemel die cibus aſſumendus ſit, ea hora ſumi debere, qua melius concoqui, diſtribui, ac nutrire ualeat. Et quoniam apud Hippocratem hora cenæ ſumitur; ſequitur ut ea hora melius concoquatur, & nutriat. quare plenior in cena dandus erit: quando prandium & cenam dare conueniet. Cenam cibationem intelligo ueſpertinam, a qua longo per noctem ſomno dormiendum eſt: prandium matutinam, a qua fere nullus eſſe ſomnus debet: de quibus infra latius dicitur. Oſtendens Hippocrates, 3. de ratione uictus, qua ratione uictus hyeme, uere, æſtate, & autumno utendum ſit: de hyeme loquens, manifeſte iubet, ſemel die cibum capere, niſi quis ualde ſtrictum

uentrem habeat: ſin minus, exiguum prandere. de uere, ac æſtate dicit, prandeto parum. de autumno idem ex dictis ſuis plane colligitur. Id quod etiam Celſus uoluit, ita dicens lib.1.c.3. Hyeme plus eſſe conuenit, minus, ſed meracius bibere, multo pane uti, carne potius aſſa, modice oleribus, ſemel die cibum capere, niſi ſi nimis uenter aſtrictus eſt. ſi prandet aliquis, utilius eſt exiguum aliquid, & ipſum ſiccum, ſine carne, ſine potione ſumere. Videtur autẽ Celſus omnia quæ dicit de ratione uictus in quattuor anni temporibus, ab Hippocrate loco citato cepiſſe. Non poſſet Hippocrates clarius dicere, in quolibet anni tempore cenam prandio pleniorem eſſe debere. Quod uero liber de ratione uictus, quantum ad eam partem, quæ de uictus ratione pertractat, ſit Hippocrate dignus, docuit Galenus 1. de alim. facul. cap. 1. & 24. Ex eo quod hyeme & uere ſomni ſunt longiſſimi, concludit Hippocrates Aphor. 15. primæ ſect. his temporibus copioſius eſſe nutriendum, non alia ratione, quam quod in ſomno cõcoctio, ſanguinis generatio, & nutricatio melius fiunt: ut in eo commento Galenus habet. Tum igitur copioſiora alimenta ſunt exhibenda, quando ſomnus longus ſuccedere debet. id autem fiet ſi cena dabitur amplior: alioquin illa clauſula, Et ſomni longiſſimi, fruſtra fuiſſet in Aphoriſmis collocata. Hippocrates quoque Sect. 6. lib. 6. de morbis uulg. dixit. Labor, cibus, potus, ſomnus, uenus, omnia mediocria. Citat hunc locum Galenus 1. de alim. facultate, & interpretatur dicens: Hippocratem eorum omnium modum definire, cum dixit, omnia mediocria, tempus uero uſus indicare ipſo ſermonis ordine, ut primum fiant exercitationes, ſubinde cibus, deinde potus, poſtea ſomnus, nouiſſime uenus: in his uidelicet, quibus uenere eſt utendum. Vult igitur cibum, potumq. tum potiſſimum dari, cum poſtea dormiendum eſt. quare plenior in cena cibus exhiberi debet. Galenus, 7. de morbis curandis cap. 6. ualentius alimentum ueſperi dandum cenſet: idq. ſemper obſeruare iubet, his non leue perceptu-

percepturis commodum, qui ita cibabuntur: tripliciq. ratione id ipsum demonstrat, tum quod in duplo fere longius tempus inter cenam, & prandium, quam inter prandium & cenam interponatur: quo naturalis & innata nobis facultas alimentum perfectius coquere, ac distribuere ualeat: nemo enim inficias ibit, idem agens in longiori tempore amplius & perfectius agere posse, quam in breuiori. Copiosius igitur ac ualentius alimentũ in cena erit exhibendum, a qua longius tempus pro sui administratione succedit: tum quia cõcoctiones in quiete magis quã in motu perficiuntur. & proinde post assumptum cibum non possunt exercitationes, nisi prima in uentre completa coctione, secunda in iecinore, atque tertia iam in membris incipiente. Cum igitur longior sequitur quies, tum liberalior est exhibenda cena: siquidem copiosius alimentum dari debet, quando naturalis eum facultas perfectius administrare ualeat, tum quia per somnum concoctiones omnes quam in uigilia fiunt perfectiores, & a cena longus debet somnus succedere. hoc usus ostendit. Illud aperte dixit Galenus libr. 3. de causis pulsuum cap. 9. & in com. Aphor. 15. sect. primæ. Hæ rationes in omni temperamento, ætate, habitu corporis, quolibet anni tempore, regione, ac statu cæli demonstrant æqualiter. Si uero contingat quod uel ex accessione febris, uel dolore, uel alia quapiam causa nõ subsequatur a cena quies, nec somnus, nec longius rempus inter cenam, & consequentem cibationem sit inter medium; sed econtra, post prandium quies, somnus, & longius tempus sequatur: tuuc prandium cena copiosius esse dandum, eisdem rationibus penitus ostendetur: illo semper fundamento stabili manente, eo potissimum tempore nutrimenta danda esse, quo melius concoquere, distribuere, & administrare facultas nostra naturalis ualeat: idq. potius in quiete, in somno, ac in longiori tempore contingere. Hanc uero sententiam perpetuo Galenus obseruat, non modo in sanis, uerũ etiam in ægris, & præsertim ex sicca uentris intemperie, unde

corpus

corpus uniuersum siccum, & gracile redditum est; atque etiam in conualescentibus sanitati propinquissimis: dicitq. athletas id ipsum non aliqua solum ratione inuenisse, sed experientia quoque longa comprobasse. Hoc etiam obseruat, quoties ante cibum balneo sit utendum. Si uero quis ante balneum, uel exercitium, cibum capere compellatur; sicut ipse quandoq. propter infirmos uisendos, uel obeunda ciuilia negotia cogebatur, (6. de sanitate tuenda.) non solum minus in prandio, quam in cena, sed panem solum sine potu, sine quauis alia re sumebat in ea quantitate, ut ante balneum perfecte concoqui ualeret. Quibusdam uero pane uesci sine obsonio non placet, sed eum cum oliuis, melle, aut sale sumunt. sunt etiam qui postea uinum pro consuetudine bibunt. His ita se habentibus apud Hippocratem & Galenum, clarum est, si quis sanus tantum semel die cibum capere debet, in cena dandum esse, a qua somnus subsequi solet. Si uero bis die dandus sit, uel homo liber est, uel in seruili, aut negotiosa uita. Si liber, mane post exercitium, & balneum prandium dari debet: & cibis dandus tantus est, quantus prius quam cena sumatur: totus prorsus sit elaboratus, & concoctus: id contingere multo ac ualentiori alimento non potest. quare leue sumendum est, quo uidelicet & concoquatur celeriter, & excrementum eius descendat, & uacuus, purusq. uentriculus cenam excipiat; quæ tanta sit, ut prius quam sequenti die prandium sumatur, tota penitus probe concoquatur. copiosius igitur & ualentius in cena dabitur, a qua longa succedat quies, & somnus & usque ad horam sequentis cibationis longius est tempus. Si uero sit in seruili, aut negotiosa uita, ut ante balneum, & completas exercitationes alimentum capere sit expediens: tum in prandio solum panem sine obsonio, sine potu, prout Galeni mos erat, sumere debet, uel panem cum oliuis, aut melle, aut aliqua re simili, ac etiam, ut alii faciebant, bibere. Hæc tempore Galeni uera fuisse constat: nostris autē temporibus quia

balneis non utimur, idem in homine libero, uel in seruili uita constituto, de prandio & exercitationibus dicendum est, quod tempore Galeni de balneo, & prandio dicebatur. Ambigunt aliqui, num sanis hominibus aliquando conueniat alimentum semel dumtaxat in die capere. clare dicit Hippocrates, 2. de ratione uict. in acutis, tex. 22. & ultra aliquos semel die tantum cibum capere consueuisse: a qua consuetudine si quandoq. recedebant, uariis, hisq. non paruis symptomatis exercebantur: satius igitur erat ipsis tantum semel die cibum capere. 5. de sanit. tuend. Qui enim cuilibet rei insuescunt, magna ex parte naturæ suæ conuenientem consuetudinem deligunt, propterea quod ab his quæ non conueniunt, subinde læsi, ipsa reiiciunt. aliqui tamen, uel dulcedine uicti, uel se lædi non sentientes, in malis assuetudinibus persistunt, uerum ii pauci, plures qui non persistunt. Identidem pluribus in locis uoluisse Galenum perspicuum est, ut 2. de ratione uictus in acutis, 29. quorum naturæ semel die cibum capere conueniens est, ii superiore parte non sunt biliosi: stomachum, & uniuersam uim concoctricem ualentem, corpus non siccum, aluum non astrictam obtinent: siquidem semel die comedere, ut supra dictum est, corpus & emaciat, & exiccat, & aluum sistit. Cum uero in senectute stomachus una uice, tantum cibi concoquere non ualebit, quantum pro corporis nutricatione requiritur, tum bis die cibus capiendus, & in extrema senectute ter, ut de Antiocho medico, & Thelepho grammatico scripsit Gal. 5. de sanitate tuen. Qui consuetudinem naturæ suæ conuenientem obtinent, & tantum semel die cibum capere solent, licet sensim consuescere possent bis die, satius tamen ipsis est, tantum semel cibum capere, quo studiis, ac optimis rebus incumbere melius ualeant, 7. de usu partium capit. 21. Celsus libro 1. cap. 1. de sano qui bene ualet, ac suæ spontis est, dicit. Bis die potius quam semel cibum capere prodest, & semper quamplurimum, dummodo hunc conco-

concoquat. Dupliciter uidetur Celſus iam dictis aduerſari: & quod bis die, potius quam ſemel, cibus capiendus ſit: & quod quamplurimũ ſemper accipiatur. ſic enim in prandio non minus quam in cena capietur. Si tamen Celſi ſententia recte conſideretur, omnino Hippocrati, Galenoq. conſentiens inuenietur. Licet enim his, qui literarum cupidi, & ſtudiis dediti ſunt, præſtet, ſemel die quam bis cibum capere: ubi ueterem hac in re conſuetudinem naturæ ſuæ conuenientem teneant, id quod ſeptimo de uſu partium uoluit Galenus: illis tamen ſanis, qui bene ualent, & ſuæ ſpontis ſunt, id eſt, nec ſtudiis, nec ciuilibus negotiis occupati, pro ſanitate tuenda bis die potius quam ſemel cibum capere decens eſt. Et hoc eſt quod aperte Celſus uoluit. Illud quoque, Et ſemper quamplurimum, modo hunc concoquat, aſſeuerant Hippocrates & Galenus. ſemper enim oportet alimenta innati caloris multitudini proportione reſpondere, quoniam plura quam conueniant calorem natiuũ extinguunt: & proinde ſenes paucis fomentis indigent, quia a multis extinguuntur, ex paucioribus uero corpus abſumitur. unde qui plurimum habent innatum calorem, plurimo indigent alimento, alioquin corpus abſumitur. Semper igitur alimenti tanta copia danda eſt, quantam calor innatus concoquere & elaborare poteſt: id quod eſt, Semper quamplurimum dare, modo hunc concoquat, ut habet Celſus. Verum cum a cena tempus, ſomnus, & quies longiora quã a prandio ſuccedant, & proinde tum copioſa alimenta ualeat calor innatus concoquere, ac elaborare: cenam prandio pleniorem eſſe dandam, ex Celſi, Hippocratis, & Galeni dictis firmiſſime tenemus. Quod uero ſanus qui bene ualet, & ſuæ ſpontis eſt, nullis obligare ſe legibus debeat, ex Galeno colligitur quinto de tuenda ualetudine: ubi ſanos ualentes, temperatos eſſe uoluit, uel temperamento propinquiſſimos, cum dicit: Quippe ualentium hominum ea ſunt munera. porro tales numquã fuerint, niſi mediocri ſint temperatura, quos in arte medicinali

nali

nali præſide non egere dixit, lib. 3, cap. 55. qui ſingulorum quæ aſſumuntur quantitatem metiatur. optima ſiquidem natura quantum appetit, tantum etiam concoquit. ſic & ſomno modum ipſa natura præfinit. Cumq. talem rationem uictus adhibuerint, nullum eſt in excrementis eorum delictum. In exercitiis autem cum primum laxari cœperit corpus, confeſtim quieſcere. Quare pro natura ſua, potius quam medicinæ legibus, regulari debent. Quod autem uarium uitæ genus habere oporteat, accipitur ex Aphoriſmo Hippocratis, cum dicit, 50. ſecundæ ſect. Oportet igitur ad inconſueta permutari: quoniam, ut inquit Galenus in commento, Eſt una tantum conſuetudo periculoſa, cum omnes homines inopinatis rerum ſortibus ſubiiciantur. ne igitur inſidentes aliquando repente in nobis inſueta multum offendamur, ſatius eſſe inquit omnia tentare.

Conciliator Diff. 121. contrariam ſententiam, quantum maxime poteſt, uariis rationibus & auctoritatibus probare contendit: & cum uaria uitæ genera uideamus, alios ſuæ ſpontis eſſe, alios negotioſam uitam uiuere: & horum alii modica, ſuauiq. exercitatione, alii robuſta, uehementique utuntur: quorum rurſus alii, ut uictum lucrentur, perpetuum diem uehementes obeunt exercitationes: alii, dumtaxat ante quam prandium ſumant. Qui integro die uictum quærentes, uehementer ſe exercent, necnon & qui liberi, uel in negotioſa uita conſtituti, modice ac leuiter exercentur; his prandium cena plenius eſſe dandum Conciliator aſſeuerat: illud quidẽ, quoniam tam robuſtas exercitationes ferre poſſet nemo, niſi copioſe & pranderet, & meridiaret: hoc uero, quoniam in alimento concoquendo lumen ſolis potiſſimum iuuet: tum, quod Antiochus medicus, & Telephus grammaticus, prandium cena plenius perpetuo ſumentes, longiſſimam, ut Galenus aſſerit 5. de ſanit. tuen. uitam uixerunt: tum quod in nocte & in ſomno calor innatus in crudis humoribus concoquendis potiſſimum eſt intentus.

Quare

Quare ut a concoctione non retrahatur, copiosius alimentum in cena non est assumendum. Hæ Conciliatoris rationes in sanis (de laborantibus enim subinde dicemus) haud multo negotio funditus diluentur. Quod ad eos attinet, qui diebus integris robustis exercitationibus uictum quærunt: omnino copiosius prandere, ac meridiare, nec non cenam leuiorem capere debent. id quod prædictis minime refragatur. siquidem cum de mente Hippocratis & Galeni dicitur, in sanis cenam pleniorem prandio sumendam esse, de iis intelligitur, qui pro tuenda sanitate, recta ratione uictus uti & uolunt, & possunt. si quis enim lubens secundæ suæ ualetudini non prospiciens in prãdio stomachum immodico cibo repleret, huic uel nõ cenare, uel certe leuis cena conueniret. id tamen aperta ratione tuendæ sanitatis plurimum distaret. Identidem operariis, tota die quærendi uictus causa ualentibus exercitationibus uti coactis, ut labores commodius ferre ualeant, plenius prandere, ac meridiare conducet, quod cum fecerint, uel nulla uel certe leuis est offerenda cena: uerũ recta uictus ratio non seruabitur. hi namque plenius prandent necessitate compulsi, non recta uictus ratione utentes, & alimenta leuiora in prandio, in meridie, data, tempore cenæ uel in stomacho manent, uel in totum corpus incocta sunt distributa, propter uehementes exercitationes a membris attracta. Cena itaque leuior omnino sumenda est: & ut semel dicam; si quis alimenta tam copiosa prandens acceperit, ut hora cenæ concocta non inueniantur, huic uel nulla, uel certe leuis cena danda est: tantum enim alimenti in prandio sumi debet, ut eo concocto cenam stomachus uacuus, & purus excipiat. Quod uero operarii, qui totos aliquando dies operas faciendas obeunt, non proba ratione uictus utantur, aperte docet Galenus 1. de alim. facul.cap. de tritico; cum de pane azimo loquens, quem diebus festis rura sua facere consueuerant, dicit. Postremo quibusuis etiã robustissimi corporis noxa erit, quales sunt, messorum, ac fossorũ præstantissimi quique,

ab his namque panes non fermentatos, facilius quam a grauiſſimis athletis confici uideas. & parum poſt ſubdit. Ad horum porro concoctionem tum conſuetudo, tum uero etiam parcior aſſumptio conducit, ac denique ipſa totius corporis inanitio, quæ illis ſuperuenire ſolet, qui de mane ad ueſperam usque in ſtatis negotiis reſudarunt: nã uacuæ uenæ non tantum ſemicoctum ſuccum, uerum etiã omnino rudem, et inconcoctum uentriculo nonnunquam præripiunt, cum a cibo ſtatim laboratur: qua de cauſa grauiſſimis quoque illi morbis corripiuntur, raroq. ad iuſtam perueniunt ſenectutem: atque uulgus ignorans, beatos illos de corporis robore prædicat, cum ea eſſe, & concoquere cernunt, quæ nemo noſtrum ne deuorare quidem poſſit, nedum cõcoquere. Cur uero nonnulli ex his robuſti longo ſatis tempore uiuant, ſubiungit rationem Galenus dicens. Enimuero & graues, altiq. ſomni, qui defatigatos arctius ſolent complecti, cum concoctionem ipſam mirifice iuuent, multum afferunt momenti, ne a prauis eduliis damnum accipiant. quippe ſi plures ex ordine noctes peruigilare eos cogas, illico morbum incurrunt. illis igitur unum hoc ad prauos cibos peruincẽdos datum eſt. Magna itaque ex parte ii operarii grauiſſimos in morbos incidunt, & maturam raro ſenectutẽ attingunt, & ſi nonnulli ex eis diu bene ualẽtes uiuant, id ex ſomni profundioris auxilio, potius quam recta uictus ratione, continget, quo fit ut eorum uita nec ſit laudanda, nec beatificanda, nec in earum numero recipienda, quæ pro ſanitate tuẽda rectam uictus rationẽ ſeruant. Quod uero ad eos attinet, qui uel ſuæ ſponsis ſunt, uel in negotioſa uita modicis, hisque leuibus exercitationibus utuntur, Conciliator ualde mihi uidetur errare. nam Galeno manifeſte contradicit, qui de ſe ipſo ciuilibus negotiis, & uiſitandis infirmis occupato (id quod nec ualens, nec uehemens eſt exercitatio) dicit 6. de ſanitate tuen. quod in prandio ſolo pane utebatur: & in ſeruili uita conſtitutis, Antonino Imperatori miniſtrantibus, identidem faciendum eſſe

conſulebat

consulebat, etsi nonnulli, quibus solo pane uesci non placebat, eum cum palmulis, aut oliuis, aut melle, aut sale sumerent: erant etiam qui post panē uinum biberent, nec ii ualentibus utebantur exercitiis. quinimmo de his loquitur Gal. quibus propter seruilem uitam, aut ciuilia negotia, prius quam pranderent, uti balneo non licebat, tantumq. cibi sumere præcipiebat, quantū sex horis probe concoqui potuisset: quod si exercitari cupiebant, eo maxime pacto citra noxam exercitationi se cōmitterent, sin minus, prandio concocto balnearent se, tum cenam caperent. Neque enim Galenus tam exiguam cibi quantitatem in prandio sumi iubet, ea ratione tantum, ut a prandio tuto se exercitent: quemadmodum Conciliator putat. sed etiam ut hora balnei, & cenæ concocta sit, stomachusq. uacuus, & purus cenam excipiat. Quod uero concoctiones in die lumine solis amplius iuuentur, ac perficiantur, quam noctu ex somno, manifeste falsum, & plenum erroris est. siquidem tamen perfectiores fiunt concoctiones, cum natiuus calor in nobis plus abundat, ut ex suprascriptis Aphorismis dilucide patet. Sect. prima Aphor. 14. & 15. Quare his qui crescunt hyeme quoque necnon & uere in somnis longis, & his qui athletarū more se exercent, copiosiora alimenta sunt exhibenda: quia plus in quouis eorum calor innatus abundat. Cum itaque noctu in somno naturalis calor intus moueatur, & in die lumine solis euocetur extra, melior noctu in somno fiet concoctio, quam lumine solis interdiu in uigilia. id quod etiam in præcedentibus ostendebatur, & quemadmodum hyeme potiores, quam in æstate, fiunt concoctiones, sic noctu fiunt, quam interdiu, perfectiores. Obiiciet forte quispiam, si quemadmodum æstas se habet ad hyemem, sic dies ad noctē: cum plura debilia uiribus animalia deterius hyeme, quam æstate concoquant, eadem penitus ratione sequetur, deteriorem noctu quam interdiu fieri concoctionem: & proinde Aphorismus ille Hippocratis, Ventres hyeme, & uere calidissimi sunt natura, uerus tantum

erit

erit in bene ualentibus, & robustis animalibus. Homines itaque imbecilli, sicut alimenta melius æstate, quam hyeme concoquunt, pari ratione melius in die, quam in nocte. ipsis igitur prandium cena plenius dare conueniet. Certe nemo poterit inficiari, quin homines, & animalia imbecilla, calore natiuo ab hyemis frigore pæne extincto, deterius hyeme cibos concoquant, ac quin alimentum copiosius æstate, quam hyeme sit exhibendum. Non tamen exinde sequitur, amplius in prandio, quam in cena dandum esse: quia licet, quemadmodum se habet æstas ad hyemem, sic quoquo modo se dies habeat ad noctem; non tamen ex omni parte ita se habere necesse est. quippe inter æstatis calorem, & hyemis frigus, extremum, & pæne maximum discrimen inuenies, ut in animalibus imbecillis, hyeme, non modo noctu, sed interdiu calor natiuus ex toto quasi deleatur. Inter diem uero & noctem discrimen sic exiguum est, ut noctis frigus maius, quam in die, calorem natiuum potius uniat, quam extinguat. et animalia quæ interdiu bene, noctu melius concoctiones perficiunt: nisi forte quis senio tam confectus esset, ut eius innatus calor a paruo frigore opprimeretur. quippe non uidemus animalia, quæ interdiu bene concoquant, noctu uero calor natiuus in ipsis extinguatur: sicuti sæpe uidemus animalia in æstate bene coquere, quæ hyeme propter frigus maximum penitus extinguuntur. Si quis autem adeo detur imbecillus, ut eius calor natiuus interdiu fortior, noctu debilior, & a frigore noctis oppressus sit, huic prandium cena copiosius dandum est: nam cibus innato calori, ut supra diximus, semper proportione debet respondere. Alia erat Conciliatoris ratio in eo consistens, quod noctu calor natiuus intentus sit in crudis humoribus concoquendis, nec ab ea concoctione sit auertendus: & proinde cena danda sit exigua, prandiũ copiosius: cum interdiu calor innatus in crudis cõcoquendis non sit intentus. parem, similemq. rationem facit de ægris materiali morbo laborantibus, quæ loco suo ponetur.

tur. Nunc de ſanis dicendum eſt. Aſſumit ſibi, calorem noſtrum natiuum noctu in crudis concoquendis intentum eſſe, & non interdiu, nec poſſe calorem ipſum duo ſimul facere, cibum ſcilicet, & humores crudos concoquere: id quod nedum falſe, ſed abſque ullo rationis colore, ſine ulla probatione, poſtulatur: quippe Galenus de ſomno, in communi loquens, ſic habet 3. de cauſis pulſ. c. 10. Nam ſomnus incidit, cum natiuus calor aut ex fatigatione, aut nimia ſiccitate ad alimentum ſe conuertat, aut ob immodicam humiditatẽ foras nequeat progredi. Poſtea de ſomno naturali loquens ſubiungit. At ſomni naturales ſimulq. uigilantiæ, ita quo modo ante diximus gignuntur. nam cum indigeat ſimulq. deſideret naturalis animalium calor copioſam humiditatem, ideoq. in uiſcera conueniet, & uentrem, fit ſomnus, qui ſimul atque ea fruitus eſt, & naturalem iam qualitatem recuperauerit, expergiſcuntur. In eodem libro, cap. nono ſic habet.

Quæ ſit cauſa, cur concoctiones per ſomnum meliores ſint, non in uentriculo modo, uerum etiam in uenis, in arteriis, in omni denique animalis corpore, non eſt huius loci explicare. Ex his clarum & omnibus notiſſimum eſt, per ſomnum ſecedente calore natiuo ad interna, meliores fieri concoctiones & in ſtomacho, & in iecinore, uenis, arteriis, ac omni denique animalis corpore. Eodẽ igitur ſomni tempore, cibus in ſtomacho, crudi humores in iecinore, uenis, & arteriis, ſanguis in membris, melius quam interdiu in uigilia concoquentur: & ita poterit innatus calor ambo præſtare, cibum ſcilicet, & humores crudos concoquere: neutrum uero interdiu in uigilia probe facere ualebit. Accedit ad hæc, Galenum in libello de atra bile c. 8. & 2. Virt. nat. circa finem, & 5. de uſu partium cap. 4. uoluiſſe pituitam in ſtomacho ex neceſſitate procreari, quamuis in eo cibus exactiſſime concoquatur, nec alibi poſſe neceſſariam habere generationem: ſimulq. cum cibo concocto, pituita corpus alere ualens, a iecinore excipitur, & ſimul ambo in ſanguinem conuertuntur.

Eodem

Eodem igitur tempore & alimentum in stomacho conco ctum, & pituitosum, ac crudum humorem iecur concoquit, nec unum magis, quam alterum sanguinem facere conatur. Si forte quispiam pro Conciliatore dixerit, crudos humores (quibus noctu concoquendis calor innatus est intentus) non utilem pituitam, sed esse superfluitates secernendas, quæ, copiosiore cena sumpta, non probe poterunt expurgari: uideat commentum Galeni in Aphorismum: Ventres hyeme, & uere calidissimi sunt natura. ubi clare dicitur, hyeme ac in somnis longissimis, ob copiam caloris naturalis ad intra, ne dum stomachi, sed iecinoris quoque concoctionem, corporis totius nutricationum, recrementorum omnium uacuationem longe melius administrari: in hunc modum dicente Galeno.
Quod autem omnia bene hiberno tempore in corpore animalis administrentur, iudicio sunt naturæ opera fortiora. nam cibi in uentriculo concoquuntur: quoniam calor innatus plurimus est, & in somnis longioribus superfluitates expurgantur: quæ quidem exquisite extenuantur per cutim: quæ uero in uapores conuertuntur, per respirationem: quæ uero sufficientem habent crassitudinem, per urinas. in his enim plus est sedimenti, quam per æstatem: præter id, quod etiam tota urinarum multitudo hyeme sufficienter augetur. Itidem de superfluitatibus alui dicendum, subiungit. Et quidem nutriuntur, & secundum carnem augentur corpora hyeme magis, & plus optimi sanguinis cumulant, nisi malo omnino utantur uictu. Prius enim in eodem commento sic habetur. Atque ita contingit, dissolui quidem, ac dissipari eius substantiam, scilicet caloris innati, tempore æstiuo contineri, ac cohiberi, & in profundum secedere hyemali. Ob hoc igitur & concoctiones, & sanguificationes, & nutritiones hisce temporibus sunt pleniores, Addit autem & aliud ipsis contingens, quod somni uidelicet longissimi fiunt ob noctium longitudinem: quod neque ipsum parum confert ad naturæ operam. Merum itaque

ſomnium fuerit aſſumptum Conciliatoris, nulla ratione, nulla prorſus auctoritate munitum. Supereſt, ut ipſius ratio, ex uictu Antiochi medici, & Telephi grammatici deducta, diſſoluatur. In primis ſcire oportet, nonnullos a principiis generationis adeo perfecta ſanitate præditos fuiſſe, ut abſque recta uictus ratione longiſſimam uitam uixerint. quæ namque ſumma ſanitate fruuntur corpora, ſemper ſana medici nuncupare ſolent, & nullis legibus obligare ſe debent, nullum genus cibi fugere, quo populus utatur: nec indigent præceptore, ratione uictus ordinante, ut auctor eſt Galenus tertio medicinalis artis, cap. 85. & proinde plures uidemus homines robuſtos, proba uictus ratione non utentes, diutiſſime uiuere: id quod non ad exquiſitam, rectamq. uiuendi regulam, uerum ad optimam ipſorum ſanitatem referendum eſt.: nihil igitur prohibet Antiochum, & Telephum diu uixiſſe, quamuis pleniore prandio uſi fuiſſent: nec horum uitam alia ratione laudat Galenus, niſi quoniam, cum debiles ſenes extitiſſent, ter in die cibum, recta ratione, capiebant: id quod faciendum eſſe cunctis imbecillis ſenibus, pro recta uictus ratione docere propoſuerat. Si uero ad pleniorem, ut dicitur, menſuram probauero Telephum grammaticum, atque Antiochum medicum cenam prandio pleniorem perpetuo ſumpſiſſe, Conciliatoris ratio prorſus explodetur. Oſtendam primum uoluiſſe Galenum, ſenibus pleniorem prandio cenam ſumendam eſſe: tum declarabo Antiochum, & Telephum identidem feciſſe. Quod ſenibus, & ex morbo conualeſcentibus, eadem ratio uictus refectoria conuenit, docet Galenus tertio medicinalis artis, cap. 100. dicens. Quæ autem reficit, atque reſtaurat, in conualeſcentibus, ac ſenibus locum habet. quæ uero ſit horum diſpoſitio, & a quibus præcipue cauſis ad naturalem reducantur habitum, in libris, in quibus de medendi artibus tractauimus, abunde explicauimus: ſed nunc per capita dicetur. Diſpoſitio quidem igitur talis eſt. optimus quidem, ſed exiguus eſt ſanguis,

ſanguis, atque una cum eo ſpiritus animalis, atque uita-
lis. ipſæ uero particulæ ſolide ſicciores, & idcirco eorum
uires ſunt imbecilliores, atque earundem ratione corpus
uniuerſum frigidius. Cũ igitur eadẽ utriusque ſit diſpoſi
tio, eadem ratio uictus conueniet renutritoria. Quinto
quoque de ſanitate tuenda itidem in hunc modum docet,
cum ait. Nam id quoque ex maxime communibus præce
ptis eſt, ubi imbecillæ uires ſunt, crebra, exiguaq. frictio
ne utendum; ubi ualidæ, rara, multaq. ſed hæc atque alia,
ut dixiſſe quidem facillimum, ita, præeſſe ſenis ſanitati
tuendæ, ſane eſt difficillimum, æque ut eorum, qui ex mor
bo conualeſcunt. Porro hanc artis partem appellant iu-
niores medici græce ἀναληπτικὴν: quaſi, refectoriam,
dicas: illam, quæ ſenum ſanitati proſpicit, γηροκομικὴν.
uidenturq. hi ambo affectus non eſſe exacta plane ſanitas,
ſed uel morbi, & ſanitatis affectus quidam medii, uel o-
mnino eius ſanitatis non eſſe, quæ firma, conſtansq. ſit,
quam καθ' ἕξιν appellant, ſed eius potius, quæ fallax, in-
certaq. ſit, quam κατάσχεσιν nominant. Ergo, ſiue
morbum, ſiue morboſum quendam affectum, ſiue medi
um quiddam ſanitatis, morbique, ſiue κατάσχεσιν ſanita
tatem ſenium appelles, huiuſmodi quæſtionibus, cum his
nos leuiſſimi homines petunt, pro nihilo habitis, ſcire li
cet, ſenilis corporis ſtatum, quoniam ex leui momento
in morbum decidit, ſimili ratione his, qui ex morbo con
ualeſcunt, in uictu eſſe curandum. Cum igitur ratio uictus
eadem refectoria ſenibus, atque his qui ex morbo conua
leſcunt accommodata ſit; hisque Galenus perpetuo cenã
prandio pleniorem dandam eſſe cenſeat: identidem in illis
erit obſeruandum. Quod ex morbo conualeſcentibus
prandio copioſior cena danda ſit, docet Galenus ſeptimo
de morbis curandis, cap. 6. cum de ſicca ſtomachi, atque
totius corporis temperie curationem exquiſitiſſime per-
tractans ait. Ceterum cum meliores ſunt effecti, cum ſci
licet a morbo reſurgunt, transferẽdi ſenſim ſunt ad renutri
toriam, refectoriamq. uocatã uictus rationẽ, ἀναληπτικὴν

Græci uocant. Paulopost subiungit. Quippe quod in superioribus suasimus, cum ualentius alimentum uesperi exhibendum censuimus, id semper obseruare studebimus, utique non leue percepturis commodum iis, qui ita cibabuntur: quod sane diligentius inspiciens, agnosces. satius enim est a principio rem cœpisse: quoniam, qui ita se habent, plurimo nutrimento indigent: nequeunt autem uel quod mediocre est concoquere: paulatim hos, & sæpius cibare oportet: atque idcirco fieri nõ potest, ut semel eos cibasse sit satis, sed nec bis, quoad scilicet sunt gracilissimi: atque hac de causa ipse ter eos cibare sum solitus. uerum, quando manifeste meliores facti apparent, etiã bis nutriuisse sit satis. Ergo tantam exhiberi primam cibationem (prandium scilicet) est rationabile, quanta prius, quam secunda (idest cena) sumatur, tota prorsus erit concocta. id cõtingere ualentiori alimento nõ potest. Quare primo loco (idest in prandio) leue sumendum his est; quo uidelicet & concoquatur celerrime, & excrementum eius descendat; & uacuus, purusq. uentriculus secundum excipiat. at quoniam non solum quies, & somnus, sed etiã longius tempus huius naturalem administrationem excipit; ratio est, ut ualentiores ciborum hoc maxime tempore (uespere scilicet) offerantur. Quod in his, qui bis die cibantur, prima prandium, secunda uesperi sumpta cibatio, cena dicatur, adeo perspicuum est, ut nulla sit opus probatione. Porro si quæ necessitas aluum molliendi cõtingat, non modo prandium cena leuius, sed etiam cibaria, quæ uentrem subducunt, exhibet Galenus, in initio tamen prandii, non ante cenam: quoniam ex his, quæ citant aluum, stomachus citius uacuatur: & uesperi tempore cenæ, ne uentriculus non sit uacuus, timor est; instante uero prandio non similiter. semper enim stomachus uacuus prandium excipit, ob temporis a cena ad prandium intercepti longitudinem. Et quia quæ fluxam reddunt aluum, coctionem non nihil impediunt: hoc etiam nomine necessarium est, in prandio pauciora, atque minus ualentia

lentia nutrimenta dare; quo concoqui ualeant, angustia temporis a prandio ad cenam, atque eorum impedimento, quæ fluentem reddunt aluum, non obstantibus. in cena uero quo melior fiat concoctio, quæ citant aluum, minime sunt offerenda. Ex uerbis itaque Galeni luce clarius habetur, copiosiorem prandio cenam his, qui conualescunt, offerendam esse, eandemq. rationem uictus refectoriam senibus deberi, quæ conualescentibus. Vnde necessario concluditur, si proba ratio uictus sit obseruanda, senibus adhibendam esse cenam prandio pleniorem. id quod cum dilucide satis probatum sit, superest ut ostendam Antiochum medicum, & Telephum grammaticum identidem fecisse. quod ut clarius deprehendatur, littera Galeni quinto de sanitate tuenda apponetur, quæ sic habet. Qui enim καθ' ἕξιν sani sunt, his ne uehemens quidem causa corpus alterat: seni uero uel minima causa maximæ mutationis occasio est. Similiter igitur se habet in cibi tum quantitate, tum modo: quippe in quibus senes, si breue quippiam transgressi limites sint, non leuiter læduntur: cum iuuenes uel ex maximis erroribus minimum noxæ sentiant. Ergo tutius est imbecillo seni exiguum dare ter die: sicut Antiochus medicus solitus est se cibare, iam quidem annos natus plus quam octoginta, & quotidie ad forum progrediens, in eum locum, ubi concilium ciuium conuenerat: interim etiã longa uia ad ægros inuisendos pergens. ceterum domo in forum quasi trium stadiorum spatium pedibus confecit: quo etiam modo infirmos, si quos prope habebat, inuisit. longius uero si quo erat eundum, partim gestatus in sella, partim uehiculo uehebatur. erat autem ei domi domuncula quædam, quæ hyeme calebat camino, æstate, citra ignem, bene attemperatum aerem habebat. in hac mane omnino fricabatur, tam æstate quam hyeme, utique deiecta prius aluo. in foro autem loco aliquo circiter horam diei tertiam, uel ad summũ quartam sumpsit panem cum Attico melle, plerumque

cocto, rarius crudo: postea partim cum aliis commentãs, partim ipse solus aliquid legens, ad sextã usque horam perseuerabat: ab hac tum in publico balneo fricabatur: tum uero exercitabatur aptis scilicet seni exercitationibus, de quarum forma paulopost agemus. mox lotus prandebat mediocriter, primum his sumptis, quæ aluum deiiciunt; post hæc maxime piscibus, uel quos saxatiles uocant, uel qui in alto mari degunt. rursus in cena a piscium esu abstinuit; sed boni succi aliquid, ac, quod non facile putresceret, sumpsit, utique aut far cum mulso, aut auem ex iure simplici. Atque hac quidem uictus ratione Antiochus in senio usus, sensibus illæsis, membrisq. omnibus integris ad extremum durauit. Telephus autem grammaticus prouectiore, quã Antiochus, ætate fuit, ut qui centum fere annos uixerit. is uero hyeme bis mense lauabatur, æstate quater, mediis horum temporibus ter: quibus uero diebus non lauabatur, his circa tertiam horam unctus est, cum exigua frictione: mox mel optimum crudum, alicæ in aqua coctæ permistum, esitabat: eoq. solo contentus pro ientaculo fuit. Prandebat septima hora, aut paulo citius, primum oleribus sumptis, deinde piscibus gustatis, aut auibus: uespere autem tantum panem ex uino mistum edebat. Putauit Conciliator ambos senes plenius in prandio, quam in cena comedisse. itidem plures etiam alii senserunt: cum Antiochus medicus olera, piscesq. mane sumeret, in uespere uel far dumtaxat, cum uino mulso, uel auem ex iure simplici: tum uel maxime quod in prandio Telephus grammaticus olera, pisces, & aues sumebat, in cena solum panem ex uino misto. De ientaculo cõsentiunt omnes eos exiguum quid sumpsisse, ut hora septima, uel circa, tuto prandium capere ualerent. Sed aliter, atque ipsi putant, dicendum. triaq. diligenter animaduertenda sunt; primum, quod Galenus 1. de rõne uict. in acu. comm. 18. loquens de ptisana refert, sic habẽs: Quod autem non turbet, idest nullam, dum concoquitur, faciat perturbationẽ, in laudem & ipsum præstat ptisanæ.

Per-

turbatio autem huiusmodi ex multis paritur eduliis, his quidem uentrē mordentibus, aliis uero inflantibus, aliis item quæ pugnantibus facultate partibus constant. quod tum in lenticula, tum in brassica reperitur: nempe solidum ipsarum corpus uentrem cohibet: ius autem proritat, subducitq. Sic & qui cerebrum cum oleo, & garo condiunt, totū ex ipsis tum dissimilare, tum sibi ipsi pugnās efficiunt: cerebro quidem stabili, & tarde meante, mistis uero ipsi, ad deiectionem excitare, idoneis. pari modo & de ouo dicendum est, siue cum melle, siue cum sale, siue cum garo assumatur: nempe quod ex ipsis constat, differentes habet facultates: iura itē fere omnia. Quapropter & circa sermonis initia uiscositatem ptisanæ laudans, inquit. Continua, quod sane citra totius in partibus omnibus similitudinem nō fit: paulopost subiungit. nihil enim ciborum concoctioni, quam hoc ipsum, (diuersitas scilicet alimentorum) aduersatur magis. Quo fit, ut, qui de concoctione scripserunt, ciborum uarietatē, præsertimq. ubi uariis constent facultatibus, nocentissimam dixerint: utpote quæ ingesta ipsa probe concoqui prohiberet. obseruant id maxime tum qui luctantur, tum qui legitime certant: prandio siquidem panem dumtaxat edunt, in cena uero carnem. licet hanc ultimam sententiam, sicut & alias Galeni multas, peruertat Auicenna dicens 3. Fen. 1. c. de regimine eius, quod comeditur & bibitur: In tempore quoque antiquo, qui exercitabantur, iam fugerunt ab hoc, contenti enim erant solius carnis comestione in mane, & solius panis in cena. Sed Galenus cum dicit, in cena uero carnē, non dixit solam carnem: intelligi namque potest, in cena uero non panem solum, sed etiā carnem. Ex his aperte docet Galenus, eos, qui luctantur, & qui legitime certant, simplicem, pugnantibusq. facultatibus non constantem cibationem capere, non quod exigunm quid sibi sumere proposuissent, (si quidem plurimo indigent alimento, ut paulopost ostendetur) sed quo facilius concoquerent, & amplius exinde nutricarentur,

ac

ac uiribus essent ualidioribus. Pari modo Antiochus medicus, & Telephus grammaticus alimentum simplex in cena capiebant; nõ quia exiguum quid assumere uellent; sed ut facilius concoquerent, ac plenius nutrirentur. Vtique non sequitur, ut qui non uarium, sed simplex capiunt alimentum, id ipsum tenue capiant, & exiguum. Quod luctantes, & legitime certantes plurimis indigeant alimentis, uidere licet ab Hippocrate in eo Aphorismo: Ventres hyeme, & uere, natura calidissimi sunt, & somni longissimi. quare per ea tempora alimenta copoisiora sunt exhibẽda. Etenim tum calor innatus plurimus est, unde & plurimis eget alimentis: indicio sunt ætates, & athletæ. athletæ igitur, qui legitime certabant, plurimis indigent alimẽtis: uescebantur autem iis, quæ tum simplicia, tum plurimũ sunt nutrientia, quẽadmodum sunt panes, non exquisite cocti, nec ualde fermentati, necnon & caro suilla. id quod nos docet Galenus in hunc modum scribens 1. de alim. facul. cap. de tritico. Ita nunc quoque censemus, panes non exquisite coctos, nec ualde fermentatos athletæ iuuenique ex usu ssee, priuato autem seniq. homine apprime in furno coctos, & abunde fermentatos: at qui omnino fermento caret, nemini prorsus is erit accommodus. paulopost subiungit. Athletæ autem, ut crassos, lentosq. optimi certe succi cibos comedunt, qui quidem in ipsis graues censentur, quo nomine palæstritæ potissimum accipiebantur, nunc uero & pancratiastæ, & pugiles. quoniam enim omnes illlorum apparatus certamina spectant, iisq. solis destinantur, in quibus totos aliquando dies aut luctandum, aut pancratia sunt obeunda; idcirco cibaria, quæ nec corruptibilia, nec euaporabilia facile sint, expostulant: huiuscemodi uero crassa, & glutinosa, qualis in primis est suilla caro, & panes in eum quem diximus modum præparati, quibus legitimi dumtaxat athletæ uescuntur; siquidem priuatus quispiam, nec exercitiis deditus, si in eius cibi usu diuersetur, aliquem redundantiæ morbum (Græci pletoricum uocant) celerrime

rime

rime ſit incurſurus. Quemadmodum igitur qui luctabantur, ſimpliciſſimis alimentis,& his quidem multis utebantur: ita prædicti ſenes ſimplici cena, multaq. ueſcebantur. Alterum hac in re ſtudioſe conſiderandum. Modus eſt in dicendo, quo Galenus utitur. Equidem, cum de re quapiam exiguum quid ſumendum eſſe cenſet, ita loqui conſueuit, ut illam dicat eſſe guſtandam; quemadmodum in conſilio morbi comitialis betam, atque caulem dicit eſſe deguſtandas. de moris præcociis, & ficubus itidem dicit. Et cum paulo poſt dixerit, carnibus omniũ quadrupedum in primis abſtinendum; ſubiungit: Quod ſi neceſſe ſit, eis etiam aliquando uti, ſuis iis, quæ carnoſa non ſunt, & uentre; ſilueſtris autẽ carnibus quoque ueſcatur; hædos etiam guſtare poteſt. Cum itaque de Telepho grammatico dixiſſet, Prandebat ſeptima hora, aut paulo citius, primũ oleribus ſumptis, deinde piſcibus guſtatis, aut auibus; indicat exiguum quid piſcium uel auiũ ſumpſiſſe Telephum, in cena uero tantum panem ex uino miſto edebat. non dixit guſtabat, ſed edebat, quantum ſcilicet opus erat. Alius eſt in dicendo Galeni modus. aliquando rem quampiam ſumere dicit mediocriter, ut prandere, uel cenare mediocriter, interdum ſimpliciter, nulla adiecta limitatione, prandere, uel cenare, uel aliquid ſimile facere. quandoque uero dicit, in uſu eius rei abundare. in conſilio namque morbi comitialis, edulia plura, minus bona, non omnino prohibet, ſed eſſe raro, mediocriterq. ſumenda cenſuit: utiliora uero ſæpius, atque in eorum uſu abundare conſuluit. Equidem nullus ibit inficias, cenam, uel prandium ſupra uires accipientis aſſumi debere numquam: in iis uero, quæ ſumentis facultatem non excedunt, ſunt exigua, ſunt mediocria, ſunt copioſiora quædam. Cum itaque ſimpliciter dicitur, cenam eſſe capiendam, de integra, conſueta, copioſaq. cena, uires tamen aſſumentis non excedente, licet intelligere. id quod, ſi quis diceret cenam

mediocrem ſumi debere, non liceret. Iccirco Galenus de Antiocho medico dixit. Mox lotus prandebat mediocri criter. paulo poſt ſubiungit: In cena ſumpſit aut far cum mulſo, aut auem ex iure ſimplici. prandium mediocre dixit, cenam ſimpliciter: ut indicaret, minus in prandio, quam in cena ſumi debere. Tertium exquiſite contemplandum eſt ratio totius uictus, qui ſenibus his debetur. licet enim Galenus de Antiocho medico dixerit, Mox lotus prandebat mediocriter, primum his aſſumptis, quæ aluum deiiciunt, poſt hæc maxime piſcibus, & cetera; de pane, de uino nec uerbum quidem fecerit. attamen arbitrari non debemus, Antiochum, nec Telephum prandium, uel cenam ſine pane, ſine uino ſumpſiſſe. quippe protinus ſubiungit Galenus, uinum eſſe ſenibus aptiſſimum, ſicuti pueris eſt alieniſſimum: longoq. proceſſu declarat, quod uinum potiſſimum ſenibus ſit ex uſu: quæ item commoda ſenibus ex uino accedant,& qui panis eis ſit exhibendus; is certe, qui neque ſalem, neque fermentum, nec ſubactionem, nec iuſtam concoctionem deſiderat: & proinde cum ientaculum Telephi narrat, illico ſubiungit: Eoq. ſolo contentus pro ientaculo fuit. id quod in aliis cibationibus nõ adiecit, indicãs nobis eos in prandio cenaq. oleribus, piſcibus, aut auibus dumtaxat contentos non fuiſſe. alienum nimis, atque abſque ulla ratione fuerit, Antiochum medicum in prandio, piſcibus, & oleribus dumtaxat, aut in cena ſolo farre, uel aue ex iure ſimplici, ſine uino, ſine pane, ueſci. itidem de Telepho dicendum eſt. Septimo quoque de morbis curandis, cap.6. ex morbo conualeſcentibus & panem,& uinum exhibet, pari ratione ſenibus quoque debent offerri. nam, ut in ſupradictis oſtenſum eſt, eadem ratio uictus ſenibus expedit, quæ conualeſcentibus. Neque præſenti loco ſcopus Galeni fuit, Antiochi medici, ac Telephi grammatici integrum uictum recenſere, ſed oſtendere dumtaxat, ipſos ter die cibum capere: ut exinde firmiſſime decernat, tutius eſſe ſenibus imbecillis, ter die, quam bis alimenta ſumere.

ſumere. Inficiari itaque poterit nemo, quin Antiochus medicus pleniorem prandio cenam caperet: ſiquidem in prandio & panem, & uinum, & olera, & piſces, in cena uero cum pane ac uino, uel far, uel auem ex iure ſimplici ſumebat. Quis eſt, qui neſciat, auem, & far plenius, quã piſces, & olera nutrire? quis eſt, qui neſciat, panem ex uino integra pro cena ſumptum, plenius alere, quam paulum panis cum oleribus, & exiguum quid piſcium, uel auium? quæ Telephus grammaticus in prandio guſtabat. His ita ſe habentibus, concludendum eſt, ſanis hominibus, pro recta ratione uictus obſeruanda, plenioré prandio cenam perpetuo dandam eſſe.

Dixi de ſanis, nunc tranſeundum eſt ad ægros: eadem ſemper ratione ſtabili permanente, ipſis eſſe dandum cibum ea potiſſimum hora, qua melius & concoqui, & in ſanguinem uerti, & adminiſtrari ualeat. Et in primis dicam, quod Hippocrates, & Galenus ſibi uoluerint, & quibus rationibus. ſubinde, quæ contra fiunt, argumenta diluentur. Hippocrates 1. de ratione uictus in acu. in hunc modum dicit. Tempus autem dandæ ſorbitionis, tum per initia, tum per omnẽ morbi decurſum, hoc maxime ſeruare oportet. Nam ſi pedes frigidi fuerint, non a ſorbitione modo, uerum quoque maxime a potu temperandum, cum in morbis omnibus, tum præcipue in acutis, & potiſſimum, quibus febris uehementior ſubierit, periculumq, ſummum. In quarto de ratione uictus in acutis, tex. 35. itidem prolixius & clarius dicit. Cum autem purgaueris, ſorbitionibus quibuſdam utitor, obſeruatis ita febrium acceſſionibus, ut numquam, cum adſunt, neque cum futuræ ſunt, exhibeas, ſed uel cum ceſſant, uel quieuerunt, & maxime a principio receſſerunt. Frigentibus ergo pedibus, neque potum, neque ſorbitionem, neque aliud quippiam huiuſmodi dabis: ſed maximum exiſtimato, ſi id tantiſper obſeruaueris, donec ualde incaluerint. deinde ita, quod cõfert, exhibe. Frigiditas ſiquidem pedum parte plurima febris acceſſuræ ſignum exiſtit. quo

tempore si quid porrigas, maxime prorsus peccabis. nempe & morbum non parum augebis. at uero cum febris de sierit, contrario modo pedes reliquo corpore calidiores fiunt. nempe, cum augetur, pedes refrigerat, incensaq. ex thorace ad caput flammam mittit. Calore igitur toto ad supernas partes cõcurrente, atque ad caput expirante. non absque causa pedes frigescunt, utpote qui natura & carne uacent, & neruis abundent: præterea & a calidissimis separati locis refrigerantur, sese ad thoracem colligente calore. Rursus, & cum febris soluitur, & in minutas redigitur partes, calor ad pedes ex proportione descẽdit. quo tempore caput, & thorax refrixerunt, atque ob id cibus dandus. nempe cum pedes frigidi fuerint, uenter de necessitate calet, fastiditq. cibum, intenditur hypocondrium, iactatur propter internã turbationẽ corpus, mens fixa non est: dolet æger, lancinatur, uellicaturque, uomere affectat, &, si mala uomuerit, dolet. ergo cum calor ad pedes descenderit, curritq. urina, etsi non sudet, omnia cessant. quo tempore sorbitionem dare expedit. nam alias perniciosa existit. In eo quoque Aphorismo, In accessionibus abstinere oportet. nam cibum dare nocuum est: & quibus per circuitum fiunt accessiones, in ipsa accessione abstinere oportet: idem habetur. Galenus in cõmento textus penultimi, primo de rõne uict. in acu. censet optimum languentibus dandum alimenti tempus esse, quando moderatissime habuerint tum thorax tum uenter: deterrimũ uero cum ea deterrime habuerint: deterrime autem in accessionũ principiis habent: moderatissime uero in declinationibus. Constat igitur, optimum cibi ministrandi tempus in ægrotantium remissionibus esse, deterrimum in accessionum principiis, ea præcipue ratione, quod in declinationibus stomachus melius, in accessionibus deterius concoquere ualeat. etenim tum cibus ægris dandus est, cum melius tum concoqui, tum administrari potest, ubi tamen uires admittant: ita ut nullo tempore

is, qui

is, qui deficit, non ſit ſuſtinendus. Ex his aperte conſtat, ſi quem a prandio, cum cenæ tempus inſtat, febris inuaſerit, quæ non niſi mane ſequentis diei decedat, optimum cibo tempus eſſe febre finita, uel inclinante. huic non modo prandio plenior cena non dabitur, ſed omnino nulla, communi omnium conſenſu, dari debet. idcirco, cum dicitur, in morbis etiam materialibus copioſiorem cenam dandam eſſe, intelligi debet, niſi febris acceſſio, dolor, morbi uigor, aut huiuſcemodi quippiam prohibeat. Equidem, ſi contentio incidat, & comparatio de duobus, utrum ex his copioſius eſſe debeat, in ceteris, ſi collatio probe fiat, paritas eſt omnino ſeruanda: ſi uero continuatur febris, nec leuior unquam ſit, quando dari cibus debeat, & quando plenior, magna diſſenſio eſt. Hippocrates 1. de rõne uict. in acu. tex. 25. quando morbis in acutis ad pleniorem uictum tranſitus fieri debet, mane ſorbitionem, ſero uero ad cibaria ſeſe confert. In commento Galenus ſic habet. Mane quidem ſorbitionem demus, poſtea uero, dimittente die, iam & frumentaria exhibeamus alimenta. tum uero ad pleniorem uictum tranſeundum eſt (ut Galenus Hippocratem interpretatur) cum uel perfecta morbi ſolutio, uel certe mutatio usque adeo inſignis facta ſit, ut æger periculum omne euaſerit. itaque morbis in acutis, reliquiis adhuc remanentibus, pleniorem prandio cenam Hippocrates atque Galenus exhibendam eſſe decernunt. Galenus uero undecimo de morbis curandis ſic habet. Tempus uero nutriendi, quod quidem ad reliquas ſpectat febres, quæ ex putredine oriuntur, in progreſſu ſermonis dicetur. quæ uero unicam a principio ſuo ad finem acceſſionem habent, (de his namque præſens ſermo) in his facilis toleratio & conſuetudo ſpectari debebunt, quando cibus illis eo tempore eſt offerendus, quo facilius quam in ceteris morbum tolerant: eoq. potiſſimum diei tempore, quo cibari ſunt aſſueti. etenim facillime cibum ferent, ſi ex his conſiderationibus aſſument.

Galeni

Galeni mens eſt, iu qua febre declinatio aliqua ſenſibilis non apparuerit, ſemper uero a primo principio febris uſque ad criſim ſimilis perſeuerauerit, exhibendæ cibationis duos eſſe ſcopos, quos intuētes a recta cibi dandi ratione minus aberremus, morbi ſcilicet facilior tolerantia, nec non & alimenti ſumendi conſuetudo. ſcire nanque licet, optimum cibo tempus eſſe,quando, quo tempore cibum quis capere conſueuit, eodem morbum facilius tolerat. uidemus enim in febre continua, remittente nunquam, modo leuius,modo grauius a morbis ægros exerceri,symptomatū fortaſſe ratione, quæ nunc imbecillius,nunc fortius infeſtant, tametſi morbus æqualis perſeueret. utique ſi quis ſanus cenare conſueuit, & hora cenæ leuius morbū ferat, huic pleniorem cenam dare oportet. ſi uero copioſius prandere ſibi ſit ex uſu, temporeque prandii facilius morbū toleret, huic copioſius offeretur prandium,quamuis morbus perpetuo ſit æqualis. ſi uero, quo tempore ſolitus eſt edulia capere, morbum laborioſe ſuſtineat, diſtinguendum eſt, & ita dicendum. Si conſuetæ cibationis tempore multo maiore cum difficultate, quam in aliis horis, toleretur morbus; in exhibendis eduliis facilem oportet expectare tolerantiam. ſi uero fere æqualis tolerentiæ difficultas per totum morbum fuerit; optimum cibo tempus erit hora conſueta.quippe conſuetudo per ſecundam ualetudinem ſeruata, in ægris, niſi maxime res urgeat, immutari non debet. id quod Galenus 5.de ſanitat.tuen. in hunc modum dicit. Ergo nec aſſuetudines ipſæ tametſi prauæ ſunt, diſplicentibus adhuc ſibi corporibus mutandæ ſunt: quin nec per ſummam ſanitatem ſemper id tentandum, ſed tum cum is, cui immutandæ ſunt, a ciuilibus negotiis maxime uacat. Itaque materialibus in morbis, & acceſſiones habentibus, & non habentibus, nec umquam remittentibus,optimum dandi cibi tempus erit, cum neque difficilis tolerantia, neque acceſſiones impedient, hora ſcilicet aſſueta, uel quando laborans eſt alleuiatus, ea potiſſimum ratione, quod tum melius conco

qui

qui, & administrari ualeat: ac ubi nihil eorũ prohibeat, & cibus dandus sit, copiosior prandio cena dari debet, nisi laborans in secũda ualetudine plenius cena prandium capere consueuerit. tum enim obseruanda est consuetudo. Dixi cum cibus dandus sit acutissimos ob morbos, quibus tenuissimus expedit uictus, aut certe tam exiguus, ut æqualiter datus, tum mane, tum uesperi facile concoquatur, & elaboretur. Idcirco Galenus I. de ratione uict. in acu. comm. 20. bis die ptisanam dumtaxat exhibens, ambas æquales adhibet cibationes. Quemadmodum igitur in sanis alimentum uesperi copiosius offerendum esse conclusum est, quoniam tunc melius concoquatur: ita in ægris esca uel hora consueta, uel quando sunt alleuiati, danda est, quoniam tunc satius concoqui ualet; eo semper fundamento stabili manente, tum cibum dandũ esse, cum melius concoqui, & administrari potest. Et proinde Celsus lib. 3. cap. 5. hac de re pertractans, etsi consuetam horam, ut Galenus, non eligat, eam tamen optat, a qua tum somnus, tum leuius tempus esse consueuit, nõ alia ratione, nisi quod tum melior sit concoctio. ait igitur.

At si continuatur febris, neque leuior umquam fit, & dari cibum necesse est: quando dari debeat, magna dissensio est. Quidam, quia fere remissius matutinum tempus ægris est, tunc putant dandum. quod si respondet, non quia mane est, sed quia remissio est ægris, dari debet. si uero ne tunc quidem ulla requies ægris est, hoc ipso peius id tempus est, quod, cum sua natura melius esse debeat, morbi uitio non est: simulq. insequitur tempus meridianum, a quo cum omnis æger fere peior fiat, timeri potest, ne ille magis etiam quam ex consuetudine urgeatur. Igitur alii uesperi tali ægro cibum dant. sed cum eo tempore fere pessimi sint, qui ægrotant; uerendum est, ne, si quid tunc mouerimus, fiat aliquid asperius. ob hæc ad mediam noctem decurro, idest finito iam grauissimo tempore, eodemq. longissime distante; secuturis uero antelucanis horis, quibus omnes fere maxime dormiunt, dein-

de matutino tempore, quod natura sua leuissimum est. Media itaque nocte his in febribus alimenta Celsus exhibet, quod tunc & somnus, & matutinum leuius tempus adueniat, arbitratus potiorem tum fieri concoctionem. Galenus uero consuetam deligit horam, a qua somnus & melior concoctio sequi consueuit, &, ut supra dictum est, in morbis, si fieri possit, assuetudo mutari debet numquam: in eo consentientes ambo, quod tum cibus ægris est offerendus, cum melius elaborari potest.
Aetius quoque in cura elephantiasis sermone 13, cap. 125 dixit: His enim cibum capere præstat, quam semel se explere. nam, ut dixi, prandium etiam ipsum simplicissime paretur, cenam magis uariam concedo. In cena etiã duæ tertiæ panis partes reseruentur. In cura quoque colicæ, ser. 9. c. 27. dixit: Cibus autem ipsorum diuidatur, ita ut in prandio tertiam, in cena uero reliquas duas accipiat partes. Hippocrates 2. prognost. tex. 60. supputatorũ atque ethicorum notas explicans ait: Omnes agnosci purulentos his indiciis conuenit, principio, si febris non dimittit, sed interdiu tenuior, noctu uehementior est &c. Cur autem febris noctu uehementior sit, in commento Galenus ostendit, quoniam scilicet in ethicis membra ignitiora facta, ex alimenti humiditate superueniente calidiora uidentur, ut de calce aqua irrorata contingit. In primo uero de febrium differentiis, cap. 9. indicia febris ethicæ declarando sic habet. Maximum uero, atque indubitatũ hoc erit eius naturæ indicium, si cibum homini obtuleris, eo præsertim tempore, quo maxime omnes horas suspectas subterfugisse uidetur. statim enim una hora, aut duabus post acceptum cibum, quicumque ægrotantem tetigerint, alteram febris accessionem adesse opinabuntur. Cum igitur a cibo & potu una hora, uel duabus, febris sit uehementior; idque, sicut Hippocrates dicit, noctu contingat, & interdiu sit leuior; consequens est, ut prandio plenior cena fuerit iis consueta.

Porro, qui prandium cena copiosius dandum esse pu-
tant,

tant, cum materialibus in febribus, ac morbis, tum uel maxime in morbis capitis id obseruandũ esse contendunt. idcirco, postea quam de febribus materialibus, necnon de ethicis dictum est, superest ut ad capitis morbos deueniam, & primum duas offeram auctoritates, quæ ex diametro pugnare uidentur, unam Galeni in consilio pro puero comitiali morbo laborante, alteram Auicennæ in cap. de comitialis morbi curatione. subinde concordia inter Galenum & Auicennam ab aliis excogitata confutabitur. postremo, quæ sit eorum mens, & quo modo uere concordes fieri possint, ostendam. Dicit itaque Galenus. Postea uero decet ad prandium accedere. oportet autem in ipso quidem non nihil olerum, quæ molliant aluum, aut salsamenti, aut ptisanæ, aut oliuarum cum tertia parte panis ad puerum afferre, in cenam uero reliquas duas partes, cum fortioribus obsoniis seruare. Multisq. interpositis, subiungit. Post cibum autem prius quam ad disciplinas accedat, cum parumper intermiserit, modicum ipsum iubeo deambulare: ubi quoque a disciplinis discesserit, rursus uelim ante cenam deambulet, atque ita panis quidem reliquæ duæ partes offerantur: aliorum autem singula quemadmodum dicetur: caro quidem omniũ fere uolatilium, iis exceptis, quæ in stagnis degunt &c. Si Galenum de uerbo ad uerbum uertere uelimus, ita dicemus. Post hæc autem ad prandium ire, & aliquid ante ipsum mollientium uentrem, olerum, uel etiam salsamenti, uel ptisanæ, uel oliuarum, simul cum tertia parte panis offerentem, in cenam reponere reliquas duas partes, cum fortioribus obsoniis. Deinde, multis interiectis, dicit. Post hæc autẽ cessantem tempus paucum, quiete deambulare iubeo, prius quam ad disciplinas accedat. & sane etiam cum discesserit a disciplinis, iterum uolo deambulare ante cenam, & postea sic panis ceteras duas portiones offerre, & alia sicut dictum est &c. Melior esset littera, si pro, sicut dictum est, haberet, sicut dicetur. in tex. enim græco nota quædã deprauatæ scriptu

ræ deprehenditur. Auicenna uero in hunc modũ scribit. Et ille, cuius consuetudo non tolerat, ut semel reficiatur, diuidat cibum suum, qui sit minor saturitate sua, in tres partes, & sumat duas tertias in prandio, & tertiam eius in cena post exercitium subtile, & neque multo utatur uino, quoniam ipsum uehementer replet cerebrum &c. Dixit Auicenna. Et ille, cuius consuetudo non tolerat, ut semel reficiatur: ut rationem reddat, cur Galenus puero comitiali morbo laboranti bis die cibum dederit, quoniã scilicet nec ætas, nec etiam consuetudo tolerat, ut semel die reficiatur. quod si ætas quidem ferat, consuetudo uero minime: bis die cibũ dare satius est. Atqui si semel die cibum capere & ætas admittat, & consuetudo expostulet: utique semel die tantum cibum dandum esse innuit Auicenna. Quod uero ad id attinet, an tertia pars in prãdio, & reliquæ duæ partes in cena, an una pars in cena, & duæ partes in prandio dandæ sint, adeo inter se pugnant, ut magis inuicem pugnare non possint. attamen nõ desunt, qui eos concordare uolentes plurimum hallucinentur. Etenim dicunt aliqui Auicennam quidem loco citato de curatione morbi comitialis agere; Galenum autem suo in consilio pertractare, quemadmodum puer comitiali obnoxius morbo, sanus custodiri ualeat. unde sententia quidem Galeni in tuenda pueri bona ualetudine uera deprehenditur; Auicennæ uero in morbi comitialis curarione. & ita contradictionem tollere putant. Dicunt item, quod is uictus puero dabatur, qui in die & palæstra, & assuetis exercitiis exercitabatur, & propterea parcius prandendũ, copiosius uero cenandũ fuerat. ita ut Galenus non a morbo, sed ab exercitio sumens indicationem, copiosius in cena nutriendum iussit: Auicenna uero sumpta a morbo indicatione parciorem cenam offerebat. Quod autem Galenus suo in consilio non curationem, sed bonæ ualetudinis custodiam intendat, ostendunt his Galeni uerbis. Studebo autem, quantum in me est, ut exequar clarissime, qua puer ille uiuẽdi ratione usus iuuari, & minus deinceps,

minusq.

minusq. ab iis, quæ accidunt ex inopinato, quotidie lædi possit. Horum certe demirari oportet uel stuporē, uel audaciam; utique, si recte se dicere sibi persuadent, stuporē; sin, conscii sibi nihil dicere, imponere legentibus sperāt, audaciam. Qui namque morbum curare comitialem intendunt, totis (ut aiunt) neruis id facere conantur, ut accessio morbi redeat numquā. itidem facere oportet eos, qui pueri comitiali morbo laborantis sanitatem tueri sibi proposuerunt. neque enim sanus conseruabitur puer, si rursus accessio redeat. itaque siue conseruandus puer sit, siue curandus, id faciendum est, ut morbi accessio nō reuertatur. Nēpe ridiculum esset, ac ab omni ratione prorsus alienum, Galenum pueri sanitatem tueri intendentē, eam uictus rationem consulere, ex qua uel morbus increscat, uel accessio citius contingat. Idcirco cena prandio copiosior, uel morbo comitiali pressis, utilis est, ita ut accessionem futuram prohibeat, aut certe protendat: uel replendo magis caput (ut dicunt) futurā accessionem nedum prohibeat, sed potius acceleret. Si illud in curatione conducet, Auicennæ sententia falsa putabitur: si hoc, improbe Galenus eam uictus rationem consulit in illius pueri sanitate tuenda. Quod uero Galenus suo in cōsilio morbi comitialis, in puero præsertim, curationē scribere intendat, inficiari nemo potest, tum quod ibidem cuncta ad eius morbi curationem spectātia tradit. ostendit enim primum ab iis cauendum esse, quæ accessionem morbi concitant: deinde quid ipsa in accessione faciendum, tum purgationem ineunte uere dandam esse: deinde quæ ratio uictus sit oportuna: postremo medicamen ex scilla conficere, & aptum eius usum, tam ratione temporis, quam ratione quantitatis docet: quo medicamine innumeros dicit se pueros curasse, nullo usus helleboro. neque enim in libris de tuenda sanitate docet Gal. bonam pueri ualetudinē purgationibus oxymellite, ac oxymellite scillitico quotidie dato custodiri: tum quod ipse clare dicit, se rationem curandi hoc in consilio conscribere. ait enim. Suscipiam

ſane tuam in gratiam, quidquid iſtud eſt laboris, rationemq. tibi filium tuum hoc in comitiali morbo curandi conſcribam. Paulo poſt ait in eo conſilio una parte Terapeutici methodi ſe diſſerere, dicens. Nam mihi tanquam expreſſa quædam imago abſoluta uidetur quamplurimis libris Terapeutica methodus, parum illa quidem, aut nihil idiotis unquam, ſed neque medico cuiuis profutura. Nunc uero quando me cogis, ut de una artis huius parte, abſque aliarum complexu, diſſeram, concedam ſane tibi, & parebo, qualeq. præſens expoſcit negotium, conſilium diligenter conſcribam. Aſſerit hoc in conſilio de una parte totius artis Terapeuticæ ſe ſcribere: id quod non eſſet, ſi curationem non conſcriberet. Paulo poſt cũ puerũ purgari mediocri iubet purgatione, uelitq. illi purgationi præeſſe Dionyſium medicum, qui ſecum de omnibus contulerat, ait. Quare cum Athenis animam meam Dionyſium habeas, in eo te omnem quoque meã de hac cura ſententiam habere putes. Curam uocat, non ſanitatis cuſtodiam. Paucis interpoſitis, ait. Neque uero tam leue quiddam hoc tibi negligendum eſt, ut filium tuum cuiuis committas. uerum ita habeto, curationem huius ſummam in duobus conſiſtere &c. Curationem, non conſeruationem nominat. poſtea ſubiungit. Præter autem alia, ſitis in primis expers, illud eſt oxymel, quod non dulce nimis, ſed aqua frigida largius ſit temperatum. Equidem mihi ſæpenumero ad curandos eodem hoc morbo laborantes pueros, ſufficiens fuit, poſt primam illam purgationem, cum de ſolita uictus ratione nihil immutarent, oxymel hoc præbuiſſe, & pharmacum iſtud miniſtraſſe. ſubinde ait: Secundum hoc ergo tempus, quemadmodum diximus, reliquis etiam fructibus puer, ſi eos concupiſcat, ueſcatur: quamquã alioquin præſtiterit illis abſtinere, non tam morbi eius curandi gratia, quam ad uniuerſam adeo ualetudinem tuendam. paulo poſt ait. Verum nos hic non philoſophis uiuendi modum deſcribimus, nihilominus tamen optabiliſ-

ſimum

ſimum erat futurum, his puerum nō ob huius modo paſſionis curam, ſed omnem etiam uitam reliquā parere &c. Clare hic Galenus oſtendit, eam uictus rationem, nedum ad huius morbi curationem, ſed etiam ad ualetudinē tuendam conducere: ut eadem uictus ratione tum bonam tueri ualetudinem, tum morbum curare, Galenus intendat. Poſtea dicit. Quantum igitur ad quotidianam uiuendi rationem fuerit neceſſe, iam ſatis præceptum eſt. Pharmaco autem præterea ſcillæ, a me tibi miniſtrato, poſt purgationem, quā appetente uere faciendam arbitratus ſum, quoquo die filius tuus, antequem in palæſtram eat, utetur. & ſane niſi uehementer grauis, induratusq. morbus ſit ille, ſpero me quadraginta illum dierum ſpatio perfecte hoc pharmaco priſtinæ ſanitati reſtituturū. ſic etenim innumeros ipſe pueros curaui, nullo uſus ueratro. Pueri igitur ualetudinem nedum tueri, ſed morbum curare Galenus intendit: eademq. mens eſt Auicennæ. idcirco concordes ex eo fieri non poſſunt: quod unus in tuenda ualetudine, alter in curatione loquatur. At mora, quam par eſt, longior hac in re tam clara facienda non erat. auctoritas quoque, quam ſuum in fauorem adducunt, potius aduerſus ipſos procedit. ſtudet enim Galenus ut eam uictus rationem oſtendat, ex qua puer iuuari, & deinceps minus ab occurrentibus lædi poſſit: id quod non modo in tuenda ualetudine, ſed etiā in curatione fieri debet. nemo enim eſt, qui neſciat, in quaque curatione eam uictus rationē adhibenbam eſſe, quæ & ægrum iuuet, & ipſum minus obnoxium cauſis ægrotare faciētibus reddat. Sed quid plura? tam abſurda, tam incredibilis eſt hæc cōcordia, ut nihil mihi uideatur abſurdius. Quod uero poſtea dicunt, ideo leuius puero prandium Galenū dare, quod a prādio ipſum exercitationibus uti uellet; eos Galeni conſiliū non uidiſſe, niſi forſan per tranſennā, clare demonſtrat. Etenim Galenus mane, poſtquam e lecto puer ſurrexetit, iubet, ut, prius quam ad præceptores commeet, pauliſper deambulet: deinde litteris, donec tempus ſit palæſtram

ingrediundi, pro consuetudine uacet: a præceptoribus ubi primum discesserit, iterum deambulet, tumq. palæstram ingrediatur, & ad pædotribam, qualem dicit, accedat, qui tum aliis exercitationibus, tum frictionibus præsit. Obseruare quoque iubet, ne confestim post exercitium palæstra egrediatur, uerum postquam iam spiritus resederit, & eius exercitationis conturbatio cessauerit: interim caput fricare, pectine sæpius uti. quibus ita curatis, ad prandium ire iubet. A prandio uero ad cenam leues dumtaxat deambulationes fieri præcipit, & paulo post ita habet. Post exercitationes igitur in prandio oxymelle, uti iam dictum est, & oleribus quibusdam, oleis, castaneis, ficis, caricis utatur. Haud uideo, qua illi ratione dixerint, a prandio puerum exercitari, nisi, ut somnia uerint, ita narrauerint. Hæc illa est Galeni, & Auicēnæ concordia; quam cum posuissent, in eam elati sunt arrogantiã, & superbiam, ut me theonino rodere dente non erubuerint; dentata tamen charta secum rem agere non placuit. Ad alios transeo, qui admodum insulse, diuerso tamen modo Galenum & Auicennam concordes reddere nituntur, & totam his in nominibus, prandium, cena, uesperna, putant esse controuersiam: quoniam, ut Festus inquit, quod quidem prandium nobis est, apud ueteres cena dicebatur: quæ uero nobis est cena, ueteres uespernam uocauere: ita ut cibus sexta, & septima, octaua, uel hora diei nona sumptus, & prandium, & cena nominari possit; cibus uero, secunda, tertia uel hora noctis quarta datus, & cena, & uesperna dicatur. Idcirco cum Galenus tertiam panis partem mane, & duas in cena tertias dare præcepit, ea de cena loquitur, quæ diurna est, non nocturna, & quæ temporibus illis in consuetudine erat. sed cũ Auicenna duas tertias in mane, & tertiam in cena dari iussit, cenam præcepit nocturnam, atque uespernam, quã minorem esse salubrius est, quia copiosa noctis cibatio materialibus capitis affectibus mirifice nocet, ita ut, si quis bis die cibum capiat, nocte nunquam, prima cibatio

leuior,

leuior, & ſecunda, quam cenam uocamus, plenior eſſe debet. ſin uero quis alimentum bis capiat, interdiu primum, noctu cum cenat alterum, plenius tum prandium, leuiorem q. cenam dare oportet. Vnde cum fere ſit ex uſu, æſtate diurnam, hyeme nocturnam habere cenam, omnis huius quæſtionis determinatio in eo conſiſtet, quod in æſtate plenior prandio cena, in hyeme leuior capienda ſit: & ſi quis hyeme mane tam cito cibum ſumeret, ut cenam poſſet facere diurnam, huic etiam copioſior prandio cena deberetur. Hæc illa eſt inſulſa, perabſurda, nullaq. ratione facta concordia: quã cum excogitaſſent, ac forſan uerã crediſſent, inſolentia inflatos, ſine offenſione, ſine iniuria allata, ſine damno, deniq. ſine cauſa me furioſe laceſſere, & plauſtra conuiciis onuſta effundere nõ puduit. Etenim, ut arbitror, inuidentia premebantur, quod Clemens VII. Pontifex Maximus in ſuæ ſanctitatis medicum me maximo cum ſtipendio, ac honore accerſiuerat. Verum quia pellem rodere caninam meo non arridet animo, ad propoſitum reuertar; & in primis eam concordiam inanem, & uanam eſſe, re ipſa demoſtrabo; poſtea, quis fuerit eorum nominum uſus apud ueteres, oſtendam. Si cui bis die, ut fere fieri ſolet, cibus detur, interdiu ſemper, noctu nunquam, cena prandio plenior certe dabitur, ut & Galenus clare dixit, ac aduerſarii de cena cõcedunt diurna: cur uero ita ſit, cauſa afferenda eſt. Dicit Galenus, quoniam a cena ad prandium longior quies, longior ſomnus, longius tempus eſt, quam a prandio ad cenam, & in longiore ſomno melior fit concoctio, quam in uigilia, in longiore quiete melior, quam in motu, in longiore tempore melior, quam in breuiore. cumq. idem penitus in cena nocturna reperiatur, iiſdemmet cauſis, iiſdem rationibus apud Galenum concludetur, ita pleniorem prãdio cenam nocturnam, quemadmodum diurnam, dandam eſſe. Dicent aduerſarii: Cena nocturna copioſa materialibus capitis morbis mirifice nocet. Non ſatis eſt dicere, ſed cauſa reddenda eſt. Dicent forte, quoniã a cena diurna

plus

plus uigilatur, ante quam somnus incidat. At quid prohibet, quin a cena nocturna uigiletur, una, duabus tribus ue horis, prius quam homines ad somnum conuertātur? longior itaque uigilia pro causa non potest assignari. Dicent fortassis: A cena nocturna maior sequitur frigiditas,& somnus; unde uapores alimenti plures detinentur, ac caput impetunt. Quod ad somnum attinet, ut diximus, omnino tam in diurna, quam in nocturna cena paritas est. nam per duas horas a cena diurna somnus æque ac a cena nocturna continget. Sola uero frigiditas aeris, a qua plures detinentur uapores, si sit in causa, tum manifeste sequetur aduersus ipsos, cenam quidem hyeme diurnam parciorem, æstate uero, & autumno nocturnam, pleniorem dandam esse, siquidem hyeme interdiu maius frigus est, quam in autumno, uel æstate noctu, & ubi frigora sunt maiora, ut dicunt, uapores plus detinentur,& amplius caput attingunt, & parciora sunt alimenta danda. Nullam igitur rationem inuenire queunt, cur cena nocturna parcior, & diurna plenior esse debeat. Præterea secundum Galenum, & apud alios ueteres, ut in dicendis perspicue uidebitur, cena neque perpetuo diurna, neque perpetuo nocturna dari debet, sed æstate interdiu, hyeme noctu, quemadmodum nunc fieri, obseruarique uidemus. Cum itaque Galenus puero comitiali laboranti morbo cenam prandio pleniorem adhibet, si de diurna intelligatur, quæ in æstate dumtaxat, & temporibus circunstantibus offertur, eam tantummodo rectam uictus rationem dabit, quæ in æstate sit obseruanda; qualis hyeme cena, quæ tunc recta sit uictus ratio, non docebit. Similiter cum Auicenna parciorem cenam dari iubet, si de nocturna sit intelligendus, quæ hyeme tantum, uel temporibus circumstantibus dari solet, eam solummodo uictus rationem ponit, quæ per hyemem sit obseruanda; quid æstate faciendum sit, non ostendet: adeo ut tam Auicennæ, quam Galeni doctrina, diminuta, imperfectaq. censeatur;

ſcatur; id quod abſonum, abſurdum, atque prorſus eſt incredibile. Quod uero cena nec omni tempore diurna, nec in omni uita nocturna ſit, uerum hyeme nocturna, æſtate diurna, monſtrat Galenus 6. de tuen. ualetudine, cũ ait. Ergo primũ propoſitus ſermoni is eſto, qui corporis ſtatũ in latitudine inculpatũ habet, quiq. alteri uiuens tota die miniſtrat aut maximo magiſtratui, aut monarchæ, ceterũ ad extremum diei liber a domino diſcedit. Quo loco rurſus definiendũ nobis eſt, quem finem diei dicimus, quãdo alias lectori ſermo noſter imponat, niſi certa limitatione ſequetur. Si enim dixero diſſolui tũ primum hominem ad corporis ſui curam, cum ſol occidit, nec adiecero quo die id uelim, circa ne ſolſtitium, aut brumam, an circa æquinoctia, an alio quopiã tempore, quod dictis interuenit, non poſſunt cõmoda præcepta tradi. Romæ enim maximi dies ac noctes, paulo maiores quindecim æquinoctialibus horis ſunt, contra minimi paulo intra nouẽ. in magna uero Alexãdria maximus dies quattuordecim horarũ eſt, minimus decem. ergo qui in breuiſſimis diebus, & longiſſimis noctibus a miniſterio occidente ſole redit, huic fricari per otiũ, et lauari, et modice dormire licet. Porro nemo eſt, cui nec in maximis, nec etiam his licet aliquid mediocriter agere, nec ipſe profecto quenquã noui tam infelici uitæ ſorte. Antoninus enim qui Imperatorũ quos ipſi uidemus, promptiſſimus ad curã corporis uenit, breuiſſimis diebus ſole occidente in palæſtrã ingreditur; longiſſimis autem hora nona, aut ad ſomnum decima. Quare licet illis, qui in diurnis officiis aſſiſtunt, ubi diſceſſere, reliquo diei tempore corporis curam agere, ita ut ſole occidente ad ſomnum ſe conuertant. nam cum minima nox nouem horas æquinoctiales æquet, abunde his fuerit ſi id totum tempus in ſomno ſumpſerint. Hic Galenus non inæqualibus, ſed æquinoctialibus utitnr horis, aperteq. docet, iis, qui Antonino Imperatori in diurnis aſſiſtunt officiis, licere breuiſſimis diebus occidente

ſole fricari, per otium lauari, quieſcere ſubinde. neque enim confeſtim a frictionibus, & balneo palæſtra egredi oportet, nec mox cibum capere, poſtea cenare, ac cena duas horas uigilare, tum ad ſomnum ſe conuertere, modiceq. dormire: cum nox tunc longiſſima xv. horas æquet æquinoctiales, etenim pro frictionibus, balneis, cena, uigilia poſt cenã, ſex horæ ſatis erunt. iis ipſis, Antoninoq. Imp. cena ſine dubio tunc fuit nocturna: longiſſimis uero diebus eiſdẽ licebat hora diei nona, quæ nobis eſt decimaoctaua, uel ad ſummum decima, quæ nobis eſt decimanona, curationem corporis habere, ita ut occidente ſole ad ſomnũ ſe cõuertant. etenim quinque uel ſex horæ pro frictionibus, exercitationibus, balneis, cena, uigiliaq. poſt cenam ſatis erunt. Cenam igitur ii, quemadmodũ & Antoninus Imp. ſine ulla controuerſia diurnam capiebant. Aeſtate itaque cena cõueniet diurna, hyeme nocturna. Id ipſum quoque quinto de tuenda ſanitate conuincitur, cum Antiochi medici, Telephiq. grammatici uictus rationem uerbis ſuperius adductis Galenus deſcribit. quippe circiter horam diei ſeptimam uterque prandebat, & uterque ſubinde cenabat. Diebus igitur breuiſſimis, nouẽ horas non excedentibus, euenire non poterat, ut cenã rectam diurnam caperent. ſiquidem prandium duabus horis nõ concoquitur, neque incoctum ſuper nõ coctum ingeri debet. diebus uero longiſſimis quindecim æquinoctiales horas æquantibus, aut excedentibus, etſi prandium circiter horam diei ſeptimam capiant, fieri poterit, ut hora diei decimaquarta, quæ nobis eſt uigeſima tertia, cenã ſumant diurnam. Quoniam igitur ſumendi prandii tempus non unum, non ſtatum eſt, aliquibus circiter horam diei quartam, aliis quintam, aliis ſextam, uel ultra prandium ſumentibus, eueniet in recta uictus ratione, prout longiores, uel breuiores erunt, ut cena quandoque diurna quandoque nocturna capiatur. illis dumtaxat cenã perpetuo capere diurnam licebit, qui ſemel die cibum capiunt: ſed ii perpauci ſunt. Accedit ad hæc, quod licet Hippocrates

& Gal.

& Gal. uariis in locis in Aphorismis, in de ratione uictus priuatorũ, in secundo, & tertio de ratione uictus, ex omni temporum diuersitate, ex ætatum imparitate, dissimilem esse rectam uictus rationem docent: ex eo tamen, quod interdiu uel noctu cibus capiatur, distinctam uictus rationem posuere numquam. itidem Auicennam & alios medicos facere perspicuum est. Quod uero ad usum nominum spectat, si cui, postea quam mane e lecto surrexerit, cibus bis die dandus sit; (diem dico uigintiquattuor horarum) primus prandiũ, secundus cena nuncupabitur; tanto q. citius aut tardius cena dabitur, quanto uel ocyus, uel serius prandium sumetur. et quamuis cibus primo loco sumptus exiguus sit, prandium tamen dicitur: ut supra ex Celso lib. 1. cap. 3. scriptum est: Si prandet aliquis, utilius est exiguum aliquid, & ipsum siccum sine carne, sine potione sumere. Quare si quis hora diei nona cibum capiat, eoq. concocto cenet, prandium hora diei nona sumpsisse dicetur: si uero quid exiguum hora diei tertia, integramq. cibationem hora nona capiat, tum cenam cepisse dicitur: ita ut eadem hora nona cibus ingestus quandoque prandium, quandoque cena dici possit. communis tamen est assuetudo, ut ante meridiem prandium, post meridiem cena capiatur. Si cui uero ter die cibus dandus sit, uti senibus contingit imbecillis: primũ circiter horam diei ternam exiguum quid datur, subinde circiter horam septimã paulo plus offertur, postremo cena plenior exhibetur. Secundam cibationem, quãuis in diebus breuioribus post meridiem hora scilicet diei septima sumpta sit, prandium tamen Galenus appellat quinto de sanitate tuenda, cũ de Antiocho medico, & Telepho grammatico, ut supra scriptum est, loquitur. tertiam uero cenam uocari: primam innominatam relinquit: etsi Linacer in sua uersione ientaculũ nominet. cibus, qui inter prandium & cenam fere in meridie sumitur, a grammaticis merenda, qui uero post cenam, comessatio dicitur. At de his quoniam inter rectas uictus rationes non habentur apud medicos, mentionem

tionẽ uix inuenies. Ex his, distinctionem illam cenæ diurnæ, ac nocturnæ nihil ad rem facere, luce clarius esse reor. Alii Galeni litteram in consilio pueri comitiali morbo laborantis in hunc modum legunt. Quibus ita curatis, ad prandium abire debet. ante illud uero aliquid subducentium uentrem, olerum, aut iurium, aut ptisanæ, aut oliuarum cum tertia parte panis ei apponatur. reliquæ autem duæ partes in ipso prandio cum cibis solidioribus præbeantur. At quia sermonis Galeni series hanc ex græco uersionem prorsus esse deprauatam ostendit, eam ipsam, tanquam manifeste falsam, relinquo. Superest, ut si quid aliud hac in concordia uere dici possit, afferatur. Plura sunt profecto, quæ Galenum & Auicennam hac in re penitus esse concordes mihi persuadent, cum dicat Auicenna, Et ille qui non tolerat, ut semel reficiatur, diuidat cibum suum, qui sit minor saturitate sua, in tres partes & c. innuens eum, cuius assuetudo, & ætas tolerant, semel die cibum capere debere; & ipsum quidem hora cenæ, prout supra dictum est. quo fit, ut Auicenna pleniorem dare cenam non uereatur. quod si integra diurna repletio, semel in cena data, probe concoqui non ualeat, diuiditur, & maior pars eo dabitur tempore, quo tota dari deberet, si concoqui probe posset. id autem cenæ tempus est: tum uel maxime, quod in capitulo curationis apoplexiæ parcius, ac solo pane prandere, plenius cenare iubet. hinc enim necessario sequitur, itidem in morbi comitialis curatione faciendum esse: quandoquidem eadem uictus ratio utrique conueniet morbo, paulo tamen subtilior apoplexiæ, suæ magnitudinis ratione. consimilem namque materiam in capite peccantem utrosque parere morbos, Galenus in commen. 45. 2. particulæ Aphor. his uerbis dicebat: Morbus comitialis proximus quodam modo est morbo, quem apoplexiam appellant, cum idem locus in utroque patiatur, & idem humor in causa sit. Dices forte, Animaduerte, quod in apoplexiæ curatione de iis agit Auicenna, qui ex apoplexia euase-

euaſerunt, & iam morbus inclinat, & quibus exercitationes conueniunt, & proinde minus in prandio comedere debent. Neſcire puto neminem, quando Gal. & Auicenna comitiali in morbo, atque apoplexia prandii cenæq. rationem conſtituunt, nō de uictu in eorum acceſſionibus idoneo, in quibus uix quippiam abſorbere, uel bibere poſſent, uerum de ratione uictus eos intelligendos eſſe, qui iam remittentibus acceſſionibus, aut quieſcentibus acommodus ſit. Etenim utroque in morbo poſt acceſſionum uigorem reliquiæ humorum remanent, tum concoquendæ, tum educendæ: quæ cum ſimiles ſint, atque eodem in loco peccantes, eandem omnino uictus rationem poſtulant. Quod uero ad exercitationes attinet, pari ratione ſimiles proderunt:& quemadmodum Auicenna in apopleticis leue exercitium,ut aliquo motu membra moueant laxata, prius quam cenent, inſtituit, ita Galenus puero comitiali fatigato morbo leues ante cenam deambulationes ordinat. & ſi apopleticis uehementiores ex uſu eſſent exercitationes, eas ante prandium ſubire conueniret: nam Gal. quoque puerum comitiali preſſum morbo palæſtram ingredi, fricari, exerceri, balneari ante prā dium præcepit. Cum igitur eadem uictus ratio comitialibus morbis, & apopleticis utilis ſit, atque apopleticis pleniorem cenam, prandium parcius inſtituat Auicenna: utique comitiali preſſis morbo copioſiorem prandio cenam neceſſario conſtituit. Atqui mox dices: Auicenna ſcribit duas in prandio partes, tertiam in cena dandam eſſe. Arbitror ego litteram fuiſſe deprauatam: inclinatq. animus id ita contigiſſe. Vetus fuit conſuetudo priſtinusq. impreſſorum mos, aliquem præficere, qui libris excudendis, erroribusq. corrigendis præeſſet. hunc arbitror ſatis firme crediſſe, præcipue comitialibus in morbis cenam prandio parciorem dandam eſſe: quoniam iam diu fuit hæc opinio recepta, ac fere ab omnibus firmiſſime credita. Et proinde, cum Auicenna excudendus ita haberet, Et ſumat tertiam partem in prandio, & duas partes in

cena, post exercitium subtile; præfectus ille medicus arbitratus Auicennæ litteram fuisse deprauatã, communiq. omnium sententiæ contrariam, ut eam corrigeret, scripsit, Et sumat duas tertias in prandio, & tertiam eius in cena post exercitium subtile. id quod etiam sermonis Auicẽnæ series plane demõstrat. quidquid enim Galenus in suo consilio dixit, Auicenna in epilepsiæ curatione posuit: sed plura addit, quoniam ne dum morbum illum in puero, uerum in omnibus quoque aliis curare intendit. Approbat autem omnia Galeni dicta de exercitationibus, & frictionibus, de quiete in palæstra, donec anhelitus resederit, & exercitationis conturbatio cessauerit, de leui ante cenam deambulatione, de purgatione, de oxymellite, ac scillitici oxymellitis uso. in ratione uero uictus non nulla mutare uidetur, cum dicit, Alienet se ab oleribus, & proprie apio, quoniam commouet epilepsiam, cuius tamen usum Gal. non damnat. Paulo post subiungit. Et eis quidem cõceditur lactuca. ego uero non plurimum eam laudo. Galenus modicũ eius usum concedebat. Cum itaque Gal. aperte dicat, tertiam partẽ cibi in prandio, & duas partes in cena dandas esse, si id Auicennæ non placuisset, utique dixisset: Et eis quidem datur tertia cibi pars in prandio, & duæ partes in cena: ego autẽ duas partes in prandio, & tertiam in cena dari iubeo. solet enim Auicẽna, quando contra Galenum dicere intendit, eius afferre sententiam, subinde rationes aduersus eam ponere. Cum itaque uel Auicennam contra se ipsum, & contra Galenum dicere, uel eius litteram deprauatam fuisse, iudicandum sit; qui litteram falsam non iudicet, inuenies neminem, dicente Galeno 6. sect. Aph. 34. quando in uiri sapientis libro sermo inuenitur aliquis manifestum habens mendacium, suspicandum est, ne quid falsum fuerit interiectum. si quis tamen adeo pertinax, atque obstinatut sit, ut, Auicennam omnino contra Galenum dixisse contendat: sentiamus nos cum Galeno, cuius Auicenna se fecit interpretem. Ex his manifestum est, comitiali in morbo,
atque

atque apoplexia pleniorem prandio cenam utilem esse: itidemq. de reliquis in capite morbis conuincitur, cũ nulla possit esse ratio diuersitatis. quod si in morbis capitis, ac cerebri ueritatem habet, longe magis in uniuersis aliis morbis ueritatem habere deprehendetur. Quare cũ Hippocrate atque Galeno concludamus, in omni, tam secunda, quam aduersa ualetudine, quando bis die cibum dare conuenit, cenam prandio copiosiorem dandam esse, nisi morborum, uel symptomatum uigor, aut accessio, uel assuetudo contraria prohibeat.

Superest, ut cõtradicentium rationes refellamus. Duo sunt argumenta, quæ grauissima & firmissima contradicentes putant, unum ex indicationibus in morbi materiati curatione, tum a morbo, tum a uirtute sumptis; alterum ex cibi uaporibus caput implentibus acceptũ: plurimis itaque sumptionibus præpositis, in hunc modum sermonem texunt. Cum duæ sint principales in morbis curandis indicationes, una ex morbo, altera ex uiribus sumpta, princeps alteramq. superans est, quæ sumitur a morbo: id quod uariis Galeni sententiis probare contendunt. quæ uero sumitur a morbo, cibum monstrat esse dandum numquam, ut morbi materiam uires melius concoquant: & si uires ad usque morbi remissionem inediam ferre possint, utique donec morbus inclinabit, cibus non dabitur, & præsertim tempore cenæ, a quo calor innatus morbi materiam melius concoquere ualet. facultas autem quando præcipue longis in morbis inediam ferre non ualet, cibum indicat omnino dandum esse, eo potissimum tempore, quo melius concoqui ac elaborari possit. idcirco, cum morbus de parciori indicet cena, uires de pleniori; præstat autem indicatio, quæ sumitur a morbo: concluditur, materialibus in morbis perpetuo leuiorem exhibendã fore cenã. Sed ut omni luce clarius ostendam, ut ex supradictis, uereq. intellectis indicationibus, conclusionem nostrã iam fundatã, & satis firme probatã, firmissime concludi, uidenda sunt, quæ Galenus 1. de ra-

tione uict. in acut. comm. 44. dicit, cum ait. Sic ſane & ci
bandi ſcopum unum communem prorſus cum ſanis, tum
languentibus eſſe demonſtrauimus. is autem facultatis ui
talis cuſtodia eſt; quam manifeſte explicuit, cum dixit.
Si ualidus fuerit, ob eandem ſane facultatem ſani edimus,
& bibimus, aliaq. omnia uitæ munia exequimur, propter
hanc eandem & ægri ad cibos, potusq. procedimus. nem-
pe morbus ſuæ affectionis indicat auxilia, phlebotomiam
uidelicet, chlysma, cataplaſma, purgationem, oxymel-
li, aquam mulſam, atque aliorum unumquodque: uirtu
tis uero cuſtodia ſolam indicat alimoniam. Si igitur mor-
boſam affectionem nullo pacto offenderet alimonia, nos
uirtuti ſoli attendentes, ægros ut ſanos aleremus: ſed cũ
ſæpius noxiam, ut oſtendimus, affert, ob id morbi affe-
ctionem, non tamquam cibi indicatricem, ſed tamquam
prohibitricem contemplamur. ubi ergo non prohibuerit,
facultasq. præceperit, tunc nutrimus. neque enim cibus
morbi affectionem ſua ratione iuuabit &c. Clare dicitur,
duas eſſe indicationes, alteram a uiribus, alteram a mor-
bo: quæ a morbo eſt, alimoniam prohibere, quæ a uiri-
bus, alimoniam iudicare. id quod & cõtradicentes aſſum
pſerunt, & nos plane concedimus. cum uero dicunt, in-
dicationem a morbo ſumptam ſuperare, ac uincere indi-
cationẽ a uiribus, hallucinantur maxime. dicebat enim
Gal. nono de morbis curandis. Ergo uirtus quoque unam
rem ſemper indicabit, utique ſui cuſtodiã. Quibus ergo,
roget quis, rationibus ſeruabitur? Nempe potiſſima ra-
tione ex eo, quod de ſubſtantia eius uel imminutum, uel
alteratum eſt, corrigendo. Secundo loco ex prohibendis
iis, quæ ſubſtantiam eius uacuare, alterare ue poſſunt, cõ
prehenſa uero inter ea, quæ alterant, breuitatis cauſa ſint,
& quæ eius unitatem diſtrahunt. Hæc itaque cum uirtus
perpetuo indicet in ualentibus, ſicut dictum eſt, conſen-
ſus agendorum omnium ad eius perennitatem eſt, in æ-
grotantibus non ſemper. Quo tempore æſtimari debe-
bit, quod uel magnitudine, uel dignitate, ut prius eſt di-
ctum,

ctum, præualeat. Maxima igitur dignitas ipſarum eſt uirium, quando uiuere ipſum nobis ex harum cuſtodia conſtat; cum, uitam aut ipſas eſſe uires, aut earum actiones, ſit neceſſe. at uita ipſa nihil eſſe prius in animantis corpore poteſt: propterea quod nec ſanos eſſe citra uitam licet. uirtus ergo omnium prima cuſtodienda hominibus eſt. Paulo poſt ſubiungit. A uirium indicatione proxima eſt, quæ ab affectibus, quos curare proponimus, datur: poſtea deinceps reliquæ. Quidquid igitur indicationi, quam uires præbent, aduerſatur, id ſecundi eſt loci, ac poſterioris iis, quæ illæ præcipiunt: quæ uero cum iis, quæ uiribus conducunt, in idem competunt, hæc utrumque calculum referunt, & eorum quæ primæ, ut ita dixerim, ſunt notæ, & eorum, quæ ſecundæ. itaque hæc citra omnem contentionem ſunt obeunda. quæ uero aduerſantur, aliquando adminiſtranda prorſus non ſunt, aliquando paulatim. quippe ſi quem curare ſtudes affectum, is euacuationem requirit. uires autem extrema imbecillitate laborant. toto illo tempore, quo uires reficimus, eorum, quæ affectus ſanent, nihil plane ægrotanti exhibebimus. ubi uero eo roboris perueniſſe eas coniicimus, ut nihil parum ue ex euacuando ſint lædendæ, tum eſt ad effectus quoque curationem accedendum. Prima igitur omnium indicatio eſt, quæ a uirtute ſumitur, uerum non ſic prima, ut quæ curationem doceat, cum ex numero curatricium indicationum non ſit, uerum, ut ita dixerim, uitalium, ſiue quæ ad uitæ cuſtodiam pertinēt. nam neque ut ualeamus, nec ut a morbis liberemur, ab ea quidquam primum deſumimus. Galenus 9 de morb.curan.cap.14. hic diuidit indicationes in curatrices, & in eas, quæ ad uitæ cuſtodiam pertinent. Hæ a uiribus, illæ a morbo, a naturali corporis temperie, ab aere nos continente deſumuntur. omnes enim curatrices indicationes ad eas tres reducit, primam, quæ a morbo, alteram quæ a naturali temperamento, tertiam, quæ ab aere nos cōtinente capitur: quæ quoniā curare docent, curatrices appellantur: quæ uero a

uiribus accipiuntur, non curatrices, ſed, ut ita dixerim, uitales, ad uitæ ſcilicet cuſtodiam pertinentes, nuncupantur. Quod autem a uiribus ſumpta indicatio ceteris omnibus præualeat, atque prius ſit exequenda, clarius dicere non potuiſſet. dixit enim, Maxima igitur dignitas ipſarum eſt uirium: & paulo poſt, Virtus ergo omnium prima cuſtodienda hominibus eſt: & paulo infra, Prima igitur omnium indicatio eſt, quæ a uirtute ſumitur: a uiriũ indicatione proxima eſt, quæ a morbo ſumitur: poſtea deinceps reliquæ ſunt, a naturali ſcilicet temperamento, & ab aere nos continente deſumptæ. Quidquid igitur indicationi, quam uires præbent, aduerſatur, id ſecundi eſt loci, ac poſterioris, iis quæ illæ præcipiunt, id quod omnes aſſequuntur. ubi namque morbus miſſionem ſanguinis indicet, uires autem imbecillæ non tolerent; qui ſanguinem mittat, inuenies neminem, cum in faciendis euacuationibus conſenſus ſemper uirtutis requiratur: & ideo Hippocrates 4. de ratione uictus in acut. tex. 16. dixit. In acutis morbis ſanguinẽ detrahes ſi uehemens morbus uideatur, florueritq. ægrotanti ætas, & uirium affuerit robur. Innumeræ fere ſimiles extant ſententiæ, quas breuitatis cauſa prætereo. Contra me dicentibus impoſuit, quod Galenus quamplurimis in locis, uel ab ipſiſmet citatis, dixit, primam indicationem eſſe, quæ a morbo ſumitur. uerum ibidem de indicationibus curatricibus aperte loquitur; inter quas eam, quæ a morbo ſumitur, primam eſſe, ceteriſq. præualere nos etiam plane concedimus. At dicimus aliam dari indicationem non curatricem, ſed ad uitæ cuſtodiam pertinentem, a uiribus ſumptam, quam principem, & ceteris omnibus præualere dicimus, ac in primis exequendam. Si pugnantes inuicem ſint indicationes, ut uero argumentum reflectatur, ſumo mihi id, quod ipſi quoque ſibi ſumebant, morbum indicare de inedia, uel de leuiori cena, uires uero de pleniore. Subiungebant ipſi: indicatio a morbo indicationem a uiribus ſuperat, ac uincit: igitur leuior cena danda eſt.

eſt. Dico ego: indicatio a uiribus indicationi a morbo, ac ceteris omnibus præualet: igitur pleniorem cenam dare melius eſt. accedit ad hæc quod morborũ, uires noſtræ, natura noſtra primus eſt medicus: medici uero miniſtri naturæ, qua deficiente, nulla poteſt eſſe curatio: eſt igitur omnino conſeruanda, quo morbum curare ualeat. Porro, cum morbum a materia pendentẽ curarẽ ſtudemus, ſi inediam ad usque morbi remotionem, uel inclinationem uires ferre ualerent, interim (omnibus una & mente, & uoce conſentientibus) alimentum dari non deberet. uiribus autem reclamantibus, tanto reficiendus eſt æger alimento, quantum ſatis eſt, ut ad integritatẽ, uel morbi remiſſionẽ ſuſtineatur. et quia cibus datus, niſi probe concoquatur, & elaboretur, uires nõ ſuſtinet, eo neceſſe eſt dari tempore, quo melius & concoqui, & ſubinde nutrire ualeat: alioquin, prius quã morbus inclinet, æget deficiet. Dices forte: ſi eo dabitur alimentũ tempore, quo minus probe nutriat, tanto plus dari poterit, ut, quantũ uires expoſcunt, reficiat. At alimentũ tum longe magis lædit. etenim non pura corpora quãto plus nutries, tanto magis lædes, & præcipue quãdo cibus praue concoquitur. his igitur in morbis eo potiſſimũ tempore cibus dandus eſt, quo melius cõcoqui, & ſubinde melius nutrire ualeat. Ea propter in morbis acceſſiones habentibus, optimũ cibo tempus eſt hora quietior; in morbis uero numquã remittentibus hora cõſueta, ut ſupra dictũ eſt. Quod uero dicũt, ſæuioribus morbi symptomatis noctu naturã infeſtari, manifeſte falſum eſt. ſiquidem Hippocrates, Galenus, Auicenna, & omnes alii febrem diuidunt in diurnam, atque nocturnam: ſæpeq. uidemus diurnas acceſſiones, a quibus quieta nox ſuccedit: quando uero contingit noctu morbum, uel symptomata plus urgere, plane concedimus tum uel cenã non eſſe dandam, uel certe leuiorem. Nunc alterum tractamus argumentum: quod in hunc modum inſtituunt. Ex cibo ueſperi ſumpto in ſomno multi uapores gignuntur; qui per obſtrictos cutis

meatus extra ferri non ualentes, intra corpus detenti, atque ſurſum eleuati, caput ſatis opplent: quod ex cibo mane ingeſto, in uigilia cutis meatibus reſeratis, longe minus accidere poteſt. iis igitur, qui aliquo capitis morbo premuntur, plenius prandium, leuiorem cenam capere melius eſt. Hoc idem fundamentum aduerſus eos procedet, ſi hunc in modum reflectatur argumẽtum. Ex cibo mane in prandio ſumpto in uigilia multi gignuntur uapores, qui ſurſum aſcendentes caput immodice replent: id quod ex cibo ueſperi in cena ingeſto, in ſomno longe minus contingit. iis igitur, qui aliquo capitis morbo fatigantur, leuius prandium copioſiorem cenam ſumere ſatius eſt. Tota igitur erit in illo controuerſia, utrum a cibo ueſperi in cena ſumpto in ſomnis caput plus uaporibus oppleatur, quam ex prandio, ut ipſi dicunt: an contra, ex cibo mane in prandio ingeſto, interdiu in uigilia, caput amplius, quam ex cena, uaporibus repleatur, ut nos dicimus. Hac in re ſcire oportet, uarios ac diſſimiles in nobis uapores inueniri: quorum alii ſuaues, non mordaces, & calori noſtro naturali affines ſunt, & proximi, ut operationes omnes naturales adiuuent, ac leuiculam dumtaxat mutationem expoſcant, ad innati ſpiritus abſoluti, & ſinceri generationem. idcirco quando pus tum in flegmone, tum in carne contuſa facere ſtudemus, medicamentum moderati caloris, & emplaſticum admouemus, quo uidelicet halituoſos tranſpiratus, ideſt uapores illos ſuaues, & ſpiritus includat, ac detineat. ſiquidem ea cataplaſmata, quæ aut detergentia, aut ualidius excalefacientia, halitus diſſlari permitunt, exiccant quidem, ſed pus non mouent. Hæc habentur a Galeno 5. de ſimpl. med. facul. cap. 8. Alii acres, mordaes, fumei, uel fuliginoſi in febre laborantibus, præſertim ethica, uel ea, quæ ab humorum putredine ortũ habet, tactu comprehenduntur, & ab igneo calore gignuntur, de quibus agit Gal. in cõm. 14. Aphor. ſect. primæ. Alii uero flatuoſi, nebuloſi, uel, ut ita dicam, nubiloſi: qui ſi per os reiiciantur, ructum faciunt: ſi uero per

imum

imum uentrem demittantur, flatus reddunt, modo ſtrepentes, modo ſine ſtrepitu: cum uero per neutram partiũ deferuntur, inflationibus, doloribus, tumoribus præter naturam nos afficiunt. de quibus uidere licet ex Galeno 1.de morb.uulg. cõm.8.& 3.de cau. symp.c.2. ubi cauſas generationis eorum ponens ait. Reliquum eſt, ut de uaporante ſpiritu, quẽ flatum quoque nominant, deinceps dicamus. nam & is in uentriculi ſpatiis oriri ſolet, cũ uel humores pituitoſi ibi contenti, uel cibi ab imbecillo calore in uapores reſoluantur. Etenim ut abſolutũ frigus uaporem haudquaquam excitat: (neque enim extenuare, neque conficere, neque diſſoluere cibum poteſt) ita uehemens calor magna ex parte uincens ea, quæ cõprehendit, plus quam pro uaporis generatione cibum extenuat, niſi is ſuapte natura facile in flatum tranſeat. Verũ ſpiritus ita genitus, & turbidus erit, &, ut ita dicã, nebuloſus, quin-etiam paucus, & parũ duraturus, ut ad unum, aut alterũ ructum ſtatim euaneſcat. Calor autem in cibos agens ſi parum ualidus fuerit, ut eos quodam modo diſſoluat, ita nõ omnino conficit; deinde ſic flatus, ſiue ſpiritus exoritur. atque, ut uno uerbo abſoluam, quemadmodum in externis rebus uidemus, ut frigidiſſima conſtitutio, maxime ſpirante borea, aerem ſereniorẽ reddit; et calidiſſima per æſtatem conſtitutio ambientem nos aerẽ purum efficit; mediæ uero conſtitutiones nebulas pariunt: ita in animantibus accidit. neque enim calor per extremam imbecillitatem, neque cum uehementes ſunt eius uires, ſed cum medium inter has affectiones obtinet, flatum gignere poteſt. Apertiſſime uult hic Galenus, cum cibus in ſtomacho concoquitur, neque per extremam caloris innati imbecillitatẽ flatuoſos gigni uapores, nec cũ uehemẽtes ſunt eius uires, niſi cibus ſuapte natura ſit flatuoſus, & tunc etiam paucos, & parum duraturos procreari, ut ad unum uel ad alterum ructum ſtatim euaneſcant. ubi uero calor innatus, nec extreme imbecillus, nec uehemens & fortis ut cibum probe concoquat, ſed medio modo ſe habens,

ita ut cibum diſſoluere,&perfecte concoquere non ualeat, tum flatuoſi uapores maxime gignuntur. unde perſpicue ſequitur, eo potiſſimum tempore pauciores flatus gigni, quo cibus perfectius concoquitur: & contra, tanto plures fieri flatus, quanto cibus deterius concoquitur. Quo igitur flatuoſi uapores pauciores fiant, cibus tum dandus eſt, cum perfectius concoqui, & elaborari poteſt, ut ſupra iam concluſum eſt. Neque dici poteſt, innatum calorem, medio modo ſe habentem, functiones melius perficere, quemadmodnm in primis qualitatibus temperatus homo perfectiores habet operationes: quoniam calor innatus quanto maior, & fortior eſt, tanto perfectius operatur. humana uero temperies non quanto calidior,tanto perfectius agit,pari ratione uapores acres & mordaces tãto pauciores ex cibo gignuntur, quanto perfectior eius fit cõcoctio. nam calor igneus acres, mordaces, fumeos, & fulginoſos uapores pariens, longe deteriorem cibi facit concoctionẽ. & contra calor magis innatus,minus igneus, perfectius cõcoquit,longeq. pauciores, acres,et mordaces uapores gignit. Vt igitur pauciores ex cibo mordaces, uel fumei, uel fuliginoſi uapores fiant, aptiſſimum cibo tempus erit, quando perfectius concoqui poterit. id autem tempus erit cenæ, niſi, ut diximus, uel morbi uigor, aut acceſſio, uel aſſuetudo prohibeat: & proinde cibus datur hora remiſſionis febris, quoniã tunc calor minus igneus, & magis eſt innatus. Quod uero ad ſuaues uapores, non mordaces, innato noſtro calori affines, & proximos attinet, tantum abeſt, ut lædant, aut excretionẽ poſtulent, ut eos naturales omnes operationes iuuare uideamus. Opponet forte quiſpiam: præter uapores ſupradictos flatuoſos, & nebuloſos, mordaces, & fumeos, ſuaues, & innato noſtro calori affines; alii ſunt uapores in ſomno, dum cibus in ſtomacho concoquitur, in nobis congregati, excretione indigentes: de quibus Galenus 3. de pulſuum cauſis agit, oſtenditq. uapores illos poſt ſomnum pulſus magnitudine,uelocitate, ac uehemẽtia protinus excerni. quibus

expulſis,

expulsis, ad suam pulsus redeunt mediocritatẽ; sic dicens. Nam cum indigeat, simulq. desideret naturalis animalium calor copiosam humiditatem, ideoq. in uiscera conueniat, & uentrem; fit somnus, qui, simul atque ea satis fruitus est, ut naturalem iam qualitatem recuperauerit, expergiscuntur. quo quidem tempore illæ conuersiones nullo modo citra uim aliquam fiant. nam in alimento concoquendo, quia succrescit humiditas uaporosa large cum in ipsa cute, tum in poris, corporibusque, ad extremam superficiem usque interpositis omnibus, non perinde iam calori procliuis est ad extrema motus. Quare ut hanc discutiat, remoueatq.& meatus repurget, & etiam corpus undequaque sibi penetrabile reddat, postulat primus uehemẽtes, atque uiolentos motus. quod ubi perspirabile, purumq. reddit, ad naturalem se recipit mediocritatem. hinc pulsus illico experrectis ex somno magni, ac uehementes, & celeres eduntur; præterea, ob motus uim non nihil uibrantur, paulo post ad natiuam mediocritatem reuertuntur. De uaporibus humidis in somno congregatis, ac post somnum excernendis clare loquitur hic Gal. uerum eos non in capite, sed in cute poris, & corporibus inter natiuum calorem, & extremam usque cutim positis coaceruari, atque in arteriis, cum distenduntur, attrahi, cum uero contrahuntur, expurgari. Dicimus nos uapores omnes in nobis editos, uel humidos, & suaues esse, uel flatuosos, uel fumeos, aut fuliginosos: non tamen inficias ibimus, ex iis, qui humidi suauesq. sunt, aliquos innato nostro calori affines & proximos esse, alios non item, qui per respirationem, & transpirationem, ut dictum est, expurgantur, quod arteriæ cum distrahantur, halitus, idest uapores ad se trahant. in hunc modum Galenus 3. facul. nat. prope finem, de arteriis loquens dicebat. Quæ uero parte aliqua ad uenas se aperiunt, quod tenuissimum, maximeq. halituosum in his sanguinis est, ad se traheret, at quæ propinquæ cordi sunt, ab illo ipso aliquid trahere. quippe in successione ad id, quod uacuatur, quod leuissimum,

mum tenuissimumq. est, prius ei, quod uacuatur, succe dit, tum id quod grauius est, & pressius. Est porro omniũ, quæ in corpore sunt, leuissimum, tenuissimumq. spiritus; secundo loco halitus, tertio gradu, qui plane absolutus, attenuatusq. est, sanguis; hæc igitur arteriæ ex omni par te ad se trahunt &c. Quando uero contrahuntur arteriæ, quod fumeos halitus, seu uapores expurgent, sic ait Gal. in libello de pulsuum usu. Quoniam igitur in iis, quæ de respirationis usu tradidimus, mõstratum nobis est, natiuum calorẽ per immissum spiritum refrigerari, eundemq. per emissum hunc purgari, fumido scilicet excremento expulso; ambo uero ad eius custodiam utile aliquid con ferre: patet arbitror & quod de pulsu dicendum erit: nẽ pe in diastole, siue sublatione arteriæ substantiam quampiam attrahi, in systole idest sumittenda arteria. Quod ex humorum deustione in toto animali contractum, uelut fu mida superfluitas est, id expelli paulo post dicit. Et cum semper uacuatas cum arteriis uenas deprehendissemus, ue ram esse sententiam de communibus arteriarum, & uena rum osculis, & communi de una in alteram per ea transitu nobis persuasimus. quippe per hos transitus arteriæ dilatatæ ex uenis trahunt, contractæ contra in eas regerunt, sicuti nimirum per ora, quæ in cutem finiuntur, quidquid halituosum, fumidumue excrementum habent, id excernunt. Clare dixit uapores in arterias attrahi cũ distenduntur, & per transpirationem, quæ per cutim fit, expelli quando contrahuntur, per respirationem quoque contracto pectore factam perpurgantur; ut habetur, cum dicit comm. 15. Aphor. sect. primæ: Et in somnis longioribus superfluitates expurgantur: quæ quidem exquisite ex tenuantur, per cutim: quæ uero in uapores conuertũtur, per expirationem: quæ uero sufficientem habent crassitu dinem, per urinas. Concludemus itaque tum paucos gi gni uapores excernendos, cum cibum in stomacho natiuus calor probe concoquit; tum uero longe plures fieri, cum praue cibus concoquitur: si qui uero sunt excernendi, ii

per

per expirationem, ac transpirationem perpurgantur. Superest, ut ostendam, difficilius per somnum, quam in uigilia, uapores ad caput ascendere: id quod, uiis consideratis, per quas uapores in caput ascendere solent, facile monstrabitur. Halitus, siue uapores in nobis generati, non alia uia caput opplere possunt, nisi uel per palatum, uel per uenas, uel per arterias, uel per neruos ad caput ascendant. in somno palati uia ita arcta, & astricta est, ut halitus non tam facile, quam in uigilia per eam ad caput transire ualeat. siquidem somnus fit, cum uapores a cibo caput in uigilia petentes, frigidiores, & crassiores facti, descendunt, atque adeo neruorum origines obstruunt, ut facultati neque sensitiuæ, neque motiuæ, per eos ad organa sua transire liberum sit. id quod citra uiæ palatus obstructionem fieri non potest, quandoquidem uapores frigidi facti, concretiq. per eam descendere consueuerint. quod igitur ad hanc palati uiam pertinet, latissime patere arbitror, in somnis non æque facile atque in uigiliis caput uaporibus oppleri. Eodem prorsus fundamento conuincitur, neque per arterias in somnis caput æque facile, ut in uigilia, uaporibus expleri. quippe arteriæ sursum tendentes, postea quam craneum transiuerunt, prius quam cerebrum, duramq. meningem ingrediantur, in quamplurimas, & capillares diducuntur arterias, & ueluti retis textum faciunt, quod rete mirabile uocant, in circuitu comprehendens adenem, siue glandosam carnem, ibidem sitam, in directo foraminum palati, quæ in somno & astricta, & obstructa esse diximus. unde retiformem illum contextum, & capillaribus arteriis constitutum dormientibus obturari necesse est: uiæ namque capillares, nullo fere negotio, atque facillime obturantur: & proinde non esset tam facile dormientibus, ut uigilantibus arteriarum ratione caput uaporibus oppleri. ubi quoque in somno nulla fieret eius retiformis contextus obstructio omnino, cum per difficilem trãsitum uapores haberent, cum

neque

neque ſpiritus ipſi facile tranſire ualeant, ut Gal. in hunc modum dixit 9. de uſu partium. Spiritus is, qui bene elaboratus eſt in retiformi plexu effluit ſemper tantus ſcilicet quotidie allatus, quãtum plexus arteriæ præmittunt. neque enim & has poteſt facile, & celeriter pertrãſire, ſed detinetur ipſe errabundus per illas reuerſiones omnes, & flexiones, tam deſuper inferne, quam in obliqua uergentes, easq. permultas, & multiformes: itaque in his, tempore admodũ multo immoratus ſubigitur, ac elaboratur: qui autem elaboratus eſt, mox incidit in uentriculos cerebri &c. Adde quod uapores in arteriis generati, uel aliunde attracti, tum per expirationem, tum per tranſpirationem expurgantur, & ideo mox, ut experrecti ſumus, pulſus magnos, uehementes, celeres, & crebros habemus, ut, ſi qui in dormientibus aceruati fuerint uapores, excernantur. Accedit ad hæc, quod nobis quoque dormientibus natura prouidet, ut uapores tum congregati perpurgentur. Etenim arteriarum in dormientibus contractio celerior eſt, & magis intra, contra diſtentio tardior eſt, & minus extra, quam conſueuerit, non ob aliud, niſi ut halitus in ſomno collecti perfectius excernantur. dicebat enim Gal. 3. de cauſis pulſuum, quo modo pulſus ex ſomno mutentur, oſtendens. Etiam tardus in diſtentionibus eſt, in contractionibus uelox, & in ſumma intro magis mouetur. Quare ſi uehementem in contractionibus eum dicas, nihil erres. etenim excrementum ſuccorum confectorum, ueluti fuliginoſum, excernere arteria per ſomnos, quod copioſius tum collectum ſit, uehementius auet. Vnde motus, qui intro fertur, uel hoc nomine præpollet. Excrementum ſuccorum confectorum, ueluti fuliginoſum, copioſius in ſomno colligitur, quoniam in cena, a qua ſomnus futurus eſt, plus quam in prandio ſumitur: ſi tamen æqualiter ſumeretur alimentum, hoc minime cõtingeret. & licet in ſomno per cutis foramina minus forte uapores exhalent, tanto tamen plures per expirationem, & tranſpirationem ex maiore, & celeriore arteriarum contra

ctione

ctione excernuntur, ut in dormientibus, tum hac ratione, tum quia ſunt obturati tranſitus, minus ad caput aſcendant, & minus ipſum repleant. Neque fieri poteſt, ut ex uaporibus per uenas aſcendentibus caput amplius repleatur, quandoquidem uenæ caput ſcandentes, ſanguinem ad extremam capitis ſummitatẽ in torculari deferunt. unde ſubiectis omnibus particulis riui mittuntur ipſis nutrimentum ferentes, ſanguis quidem quoniam grauis facile deſcendet, uapores uero ſurſum potius per cranei cõmiſſuras exhalabunt: uapores enim ſurſum, non deorſum ferri nati ſunt. Et quia uapores in uenis collecti, perpetuo in arterias ex earũ diſtentione attrahuntur, ſubindeq. per earum contractionem expelluntur, perpauci poterunt in uenis remanere, ac per eam uiam caput opplere. Multo minus fieri poteſt, ut per neruos halitus aſcendentes caput repleant, cum nerui uias manifeſtas habeant nullas. Concludemus igitur, caput in ſomno uaporibus minus, quam in uigilia repleri, tum quia tranſitus magis obſtructi ſunt, tum propter contextum retiformem ex capillaribus arteriis conſtitutum, tum ex maiore, & celeriore arteriarum contractione, tum ex meliore, quæ in ſomno fit, alimenti concoctione. id quod maxime quoque poteſt hoc experimento comprobari, quod omnes litterarum cupidi, ſtudiis, doctrinæq. dediti, mane cum a ſomno naturaliter excitantur, plus quam ueſperi tum ingenio, tum memoria ualeant, tum rectis ſtudiis potiſſiumm proficiant: quod citra cerebri integritatem, bonamq. ualetudinem cõtingere non poteſt. at ſi excrementa uaporesq. redundarent, tum bona ualetudo dici non deberet, quin potius functiones omnes læderentur. Interrogabis forte, ſi a cena caput uaporibus minus repletur, quo modo ſomnus tum maior eueniat. Reſpondemus, a cena, dum uigilamus, halitus ad caput aſcendere, qui refrigerati, atque craſſi facti, uias palati, neruorumq. principia refarciunt: ſicq. ſomnus euenit: quo perſeuerante, longe minus, ut probauimus, aliis uaporibus caput oppletur: & ideo Gal.

ſexto

ſexto de tuenda ſanitate dixit : Non leue incommodum non nullis accidere, cum mane, repleti cibo, ſe exercitant. nonnullis enim & caput impletur uaporibus, & in iecinore fiunt obſtructiones . De iis, qui ueſperi cibo replentur, non dixit, in ſomno caput uaporibus repleri . id quod tamen pari ratione fieri deberet. Etenim cibo repleti cũ ſe exercitant calefiunt, & ex calore multi uapores ad caput aſcendentes generantur . Pari ratione, cum ueſperi, repleti cibo, ſomno ſe committunt, ex ſomno calor innatus intus mouetur, alimenta calefacit, ac concoquit. unde multi ſimiliter uapores fieri deberent. non tamen dixit Gal. tum caput repleri, quoniam uapores in ſomno editi, ut ſupra diximus, non facile ad caput habent tranſitum, & per expirationem, aut tranſpirationem, ex arteriarum contractione perpurgantur.

Tempus eſt iam ut ad ea tranſeamus, quæ contra nos alii moliuntur, & primum hunc in modum argumentantur. In ſomno, & cibo ingeſto, innato calore ad interiora ſe colligente, ac alimentum elaborante, tum plures gignuntur uapores, tum cutis meatus obſtruuntur: unde uapores extra ferri non potentes, intra corpus detenti, ac ſurſum tendentes caput facile replebunt, at in uigilia natiuo calore ad externas partes moto pauciores edũtur, qui, uti meatibus reſeratis, facile difflantur. Iis igitur, qui quopiam capitis morbo premuntur, plus in prandio, minus in cena dare ſatius eſt. Reflectetur prius argumentum, deinde diluetur . Hyeme color innatus, circunſtans frigus, refugiens in profundum ad interna ſecedit : cutis meatus, & ex calore intus ſecedente, & ex frigore circunſtante obſtruuntur: contra æſtate calor innatus ad externa protenditur, cutis meatus reſerantut. igitur hyeme uapores extra per cutis foramina ferri non potentes, intra corpus detenti ſurſum moti, caput longe magis, quam æſtate, replebunt: cuius oppoſitum dicit Galenus comm. 15. Aphor. ſect. primæ, cum ait. Quod autem omnia bene hiberno tempore in corpore animalis adminiſtrentur, indicio ſunt naturæ

opera

opera fortiora . nam cibi in uentriculo concoquuntur, quoniam calor innatus plurimus eſt, & in ſomnis longioribus ſuperfluitates expurgantur: quæ quidem exquiſite extenuantur per cutim: quæ uero in uapores conuertuntur, per expirationem: quæ uero ſufficientem habent craſſitudinem, per urinas. & paulo ſupra de natiuo calore loquens ait. Quia uero plurimus eſt hiberno tempore, idcirco cibi appetentiam intendit, coctiones auget, & plus ſanguinis cumulat, & craſſius efficit corpus, &, ut ſuperfluitates excernantur, prouidentiam habet. Quippe, ut uapores melius excernantur, pluris ualere putat caloris natiui ad interna collectionem, celeriorem q. & magis ad intra tum expirationem, tum arteriarum contractionem, quam ualeat ad exhalationem uaporum prohibendam foraminum cutis aliqualis obturatio. Vt uero nos paribus argumentis paria reſpondeamus, dicimus, ad pauciores uapores gignendos, & ad potiorem ipſorum expurgationem pluris eſſe per ſomnum caloris ad interna natiui congregationem, expirationis magis internam celeritatem, contractionis arteriarum plus intus uelocitatem quam uigiliam, foraminum cutis maior reſeratio, licet enim æſtate cutis meatus apertiores, quam hyeme ſint, non tamen melius uapores, quam hyeme, perpurgantur. Pari modo quamuis in uigilia pori cutis magis aperti ſint, non tamen exquiſite magis uapores, quam in dormientibus excernuntur: pauciores quoque ac meliores gigni uapores (ſeruata cibi potusq. paritate) quando calor innatus intus collectus potiorem facit concoctionem, iam diximus.
Alterum ſic inſtituunt argumentum. In libello de ſomno & uigilia uoluit Ariſtoteles homines neque ſtatim a cibo ſomniare, neque pueros, cum in primnm in lucem egrediuntur, ut infantes: quia multa tum agitatio, motioq. eſt, propter plurimos alimẽti uapores ad caput aſcendentes. quamobrem, quemadmodum, cõmota uehementer aqua,

aqua, nulla rerum effigies redditur, quæ appareat, aut redditur quidem aliqua, ſed laceſſita, & tortuoſa, uſque adeo ut alia omnino uideatur eſſe, quam ſit: aqua uero quieſcente, res in ea ſimili colore, & incolumi forma reſpondent; ita a dormientibus phantaſmata, ſeu uiſa, quãdoque comprehendi non poſſunt, quod multo fluxu uaporum obruuntur, quandoque diſtorte, præpoſtere, & monſtroſe redduntur. eadem ratione nec in prima ſomni parte ſomnia contingunt. Voluit quoque Ariſt. aliquos eſſe, qui numquam quidquam ſomniarunt in uita, alios ad multam ætatem non ſomniaſſe, propter eandem certe cauſam, quæ facit, ut & infantes quoque nõ ſomnient, neque ceteri ſtatim a cibo, ſiue in prima ſomni parte. quorum enim ita conſtat temperamentum, ut ad ſuperiorem locum plurimus ex cibis uaporum fluxus ſuccedat, neceſſe eſt, ut cum uaporum uel humoris deſcenſu multæ motiones citentur, nullum his phantaſma, aut uiſum appareat. Voluit inſuper Ariſt. nos in ſomniis non numquam errare, ut ſimulacra tanquam ipſas res uere intueri, & tractare credamus. ſi uero modica affluentia ſit, & quæ præ ſua copia obruere totam aciem mentis nõ poſſit, ſed iudicium ei incolume relinquat; tunc nullo errore trahimur uiſis, & tum ſolemus dormiendo dicere, uidetur quidem hoc Socrates, non tamen Socrates eſt, ſed Socratis idolum. Multis itaque uaporibus in capite collectis, imagines, tamquam res ipſas, uere intueri credimus: cum uero pauci uapores exiſtant, phantaſmata ipſa, non res, uidere, & tractare putamus. Quare ſi in ſomno uapores alimenti in capite redundantes inſomnia fieri prohibeant, & nos in ſomniis errare quandoque cogant; neceſſe eſt, in ſomno plurimos ad caput uapores aſcendere. Mirari ſatis hominis amentiam non queam, quod argumentationẽ pro ſe induxerit aduerſus eum maniſeſtiſſime concludentem. Nihil enim aliud uoluit Ariſt. ſi diligentius conſideremus, niſi quod, multis uaporibus in capite collectis, imagines rerũ & ſimulacra delentibus,

insomnia non fiant, & ideo infantes humidi admodum, ac uaporosi, & in prima somni parte ceteri somniant nunquam, uaporibus uero in somni processu paucioribus factis, ita ut non omnino imagines delere ualeant, somniamus quidem, sed decipimur, & idola, tanquam res ipsas, uere intueri credimus: multo uero paucioribus factis in ultima somni parte & somniamus, & non erramus, sed idola, ac phantasmata, non res ipsas, intueri uidemur, & nos ipsos somniare deprehendimus. Mens itaque fuit Aristotelis & in somni principio plurimos adesse capitis uapores, quos necesse est a cena, dũ uigilamus ad caput ascendisse, & in somni processu assidue pauciores reddi. id quod fieri non potest, nisi continuo pauciores ascendant, & qui nobis uigilantibus ascenderunt, discutiantur. Vnde illud clare sequitur, & alimenti uapores a cena in uigilia caput maxime replere, & in processu somni pauciores assidue reddi; quo nihil ipsis magis potest esse contrarium. siquidem asseuerant, a cena in somno caput semper uaporibus magis oppleri, atque fatigari, a prandio uero in die minus impleri, ac infestari. Tertio loco sic argumentationẽ inducunt. Experientia docet, in nocte humidas cerebri superfluitates per palatum, per neruos, per uenas, ac arterias descendere, atque ad pectus, ad fauces, ad stomachũ, & partes cerebro subiectas defluere. nihil igitur impediet, quin uapores itidem per easdem uias ascendant. rursus nutrimẽtum in somno per uenas ad cerebrum transit. quid igitur prohibet, quin uapores inde per uenas transeant? Ad hoc iam diximus sanguinem per uenas ad capitis summitatem in torculari ascendere, postea ad cerebrum nutriendum deorsum ferri: de natura autem uaporum non esse, deorsum tendere. Ad aliud autem dicimus. Cũ per palatum uel alias uias excrementa descendunt, & trãsitus replent, tum non est facile, uapores per easdẽ uias obstructas transire. si uero per palatum superfluitates ita descenderent, ut uiæ late patentes remanerent; tum facilis uaporibus eas per uias transitus esset. uerum, donec somnus

perseuerat, palati uia semper obstruitur. idcirco uaporum ad caput in somnis transitus facilis est numquam, nec per palatum, nec per uenas, nec per arterias, minime per neruos, ut supra satis dictum est. Insuper aduersus nos locum Galeni 4. sect. Aphor. 67. citant, ubi de conuulsione, timoreq. contingentibus in somno loquens ait. Hoc autem uidetur contingere, quando in somnis ad cerebrum humor infestus peruenerit, tum magis intra, quam extra natura mota. equidem sicuti a cibo ad somnum conuersis impletur caput, sic in pletoricis dispositionibus somni ipsum replentes, aggrauant cerebrum. Paulo post in calce eiusdem commenti, Non solum autem in cerebro ipso mali humores aceruati tales afferunt casus, sed & in ipso ore uentriculi. Quare & in somnis magis euaporant, cum incocti permaneant, sicuti coctiones utiles somnos inducunt. Hanc Galeni auctoritatem plurimum cōtra nos ponderis habere putant: quæ si recte perspiciatur, ac intelligatur, aduersus eos manifeste procedit. Scire nos oportet, dupliciter dici caput per somnum repleri, uno modo, cum in somnis ad cerebrum humor malus peruenerit, tunc magis intra, quam extra natura mota: nam cum in somnis spiritus & sanguis ad intra mouentur, mali quoque humores simul ad interna secedentes, cerebrum uisceraq. replent: altero, cum e sumptis alimentis, calore natiuo concoquente, uapores plurimi sursum moti caput implent. Hoc in loco nihil aliud Gal. uoluit, nisi quod, quemadmodum a cibis, & potibus sumptis, nobis uigilantibus, & ad somuum conuersis, caput uaporibus impletur, ita in pletoricis dispositionibus, in somnis praui humores tum ad caput, tum ad alia interna moti uiscera, cerebrum aggrauant, timores aut conuulsiones, pro uariis humorum naturis, parientes. & quia Gal. 1. de arte cur. ad Glauc. cap. pen. & 2. de med. com. secundum locos cap. de cephalea, capitis ex uaporibus plenitudinē sine grauitate, eam uero, quæ ex humoribus est, cū grauitate uoluit esse, cum hoc in loco dicit, cere

brum

brum aggrauant, manifeste indicat se non de uaporum, sed de humorum plenitudine loqui. quare subiungit, Et somni semper nocerent, quatenus ad profundum, & uiscera materia fluit, nisi coctionis ratione plus afferrent utilitatis, quam sit damnum, quod ex motu ad interiora con sequitur. Non hic de uaporibus, sed de materia con coquenda loquitur Gal. & proinde in morbis per somnum, natiuo calore, & materia ad interiora mota, quando calor naturalis materiam concoquere non ualet, noxæ sequuntur, quæ morbum indicant esse mortalem. Qui itaque contra nos hanc Galeni citant auctoritatem; hallucinantur, credentes ipsum de cerebri redundantia ex uapo ribus per somnum facta loqui, cum tamen de cerebri ex malis humoribus plenitudine grauante, concoctionemq. desiderante loquatur. Postea quam uero Galenus malos humores in cerebro collectos, & timorem & conuulsionem facere docuit, subiungit: Non solum autem in cerebro ipso mali humores collecti, tales afferunt casus, sed & in ipso ore uentriculi: quare & in somnis magis euaporant, cum incocti permaneant, sicuti coctiones utiles somnos inducunt. Arbitrantur aduersarii, mentem hic esse Galeni, humores in ore uentriculi collectos, magis euaporare per somnum, quam in uigilia: cum tamen humo res in ore uentriculi collectos, incoctosq. permanentes ad eos, qui concoquuntur, Galenus comparet: ut hæc sit sententia: Mali humores in ore uentriculi collecti, incocti permanentes, magis in somnis euaporant iis, qui concoquuntur, quoniã coctiones utiles somnos faciunt: & cum in uigilia minus bona fiat cõcoctio, tum maior quã in somno fiet euaporatio, seruata in ceteris paritate, ut supra plane declarauimus. Alius Galeni locus contra nos adduci potest, ubi ad capitis dolorem ex uaporibus ait, De remed. paratu facilibus. Quibus caput ex uaporibus dolet, iis subducenda aluus est, prospiciendumq. de domo undique perspirabili, aerisq. clari, ac puri :.cienda sternutamenta, præsertim si febre uacent, attracto per

nares trito aut ſtruthio, aut pipere. uacuatis enim ratione hac uaporibus, facile diſcutietur dolor. fouendum præter hæc oleo caput eſt, cui adiectum ſit aceti non nihil, ſic enim reprimetur immodica ad caput uaporũ ſublatio: quodq. nunc cerebri uentriculis inſedit, diſcutietur. non ſinatur autem talis dormire, potiſſimũ interdiu. Ex eo, quod hac in curatione ſomnum prohibet, apertiſſime colligi ui detur. in ſomno caput amplius, quam in uigilia, uaporibus impleri. facile, uerumq. reſponſum dare licet, quod ibi Galenus loquitur de uaporibus ab extrinſeco per inſpirationem attractis: qui adeo mali quandoq. ſunt, ut calor innatus eos diſcutere non ualeat: ſicut qui a calce, uel a carbonibus eleuantur, & proinde iis, qui ſternuere faciunt, ſunt excernendi. domusque undiq. perſpirabilis, & aeris clari, & puri eſſe debet: ſomnusque in curatione uitandus eſt: quoniam talem eorum excretionẽ prohiberet. De uaporibus autẽ uini, uel cibi non ita dicendum eſt. nã paulo poſt loquens Galenus de dolore capitis ex uino, ſomnum, & quietem conuenire uoluit, ut infra in fauorem noſtrum certius oſtendetur. & licet hic de curatione doloris capitis a uaporibus malis per inſpirationem attractis agatur: iuuat tamen uentrem ſubducere, & capiti oleum cum aceto admouere pro diuerſione, & repulſione, quo dolor ex reliquis uaporibus non increſcat. Rurſus aduerſus nos locum citant Auicennæ dicentis prima parte cant. tex. 137. Si autem ſomnus multum prolungatur, repletur caput humoribus; ipſe etiam humectat corpora, & relaxat, extinguitq. calorem uiuificantem ipſa. Præter id, quod Auicennæ ſermo de humoribus eſt, non de uaporibus. loquitur etiam de prolixiore ſomno, quam conueniat, in quo natiuus calor extinguitur, & eo imbecillo omnia redundant excrementa, ut dilucide uidere licet a Galeno 3. de cauſis pulſuum, cum uarietatem pulſus ex ſomno contingentem declarat. Citatur item alter Auicennæ locus 3. part. cant. text. 40. dicentis. Nec eſt ſomnus prolongandus in ieiuno, & tempore famis: nam repletur

caput

caput fumo, & uaporibus a fæcibus, & ſuperfluitatibus eleuatis. Hoc in loco nil aliud uoluit Auicenna, niſi quod in ieiuno dormiendum non ſit, quoniam uapores ad ſomnum cauſandum ſurſum moti erunt ex fæcibus, & aliis ſuperfluitatibus, non ex cibo, unde ſuauiores, & magis grati uapores aſcendere ſolent. In noſtræ determinationis confirmationem, illud ſupra deduximus experimentum, quod mane, cum a naturali excitamur ſomno, plurimum & ingenio, & memoria ualeamus, rectisq. ſtudiis potiſſimum proficiamus. Ad hæc aduerſarii reſpondent: Cerebrum mane a ſomno functiones omnes perfectiores habere, non quia per ſomnum plurimi uapores ad caput non aſcendant, ſed quia uel in ſomnis amplius diſcutiuntur, uel quia ſpiritus animales tum perfectius inſtaurantur ac renouantur. Sed hoc noſtrã confirmat determinationẽ. licet enim plurimi uapores ad caput a cena tenderẽt, modo facillime reſoluerẽtur, & minus quã in die læderent, omnino cena copioſior danda foret. hoc autẽ indicat, ſpiritus animales in uigilia deſiccatos, atque pauciores redditos, ex ſuauibus uaporibus, a cibis aſcendentibus, perfectius inſtaurari, ac renouari, & propterea dandam eſſe cenã pleniorem. Etenim ſi prandium plenius detur, nõ tamen erunt ueſperi ſpiritus animales refecti, atque recreati, nec æque perfectæ cerebri functiones. Ex aliis Galeni & Auicennæ locis, opinionem noſtram ſine ulla dubitatione confirmare poſſumus. Gal. in 2. de cõp. med. ſecundum locos, ubi curationem docet ebrietatis, ait. Nam calidiora temperamento uina, capitis dolorem generantia, uaporibus omnino caput, interim humoribus etiam iis, qui temperamenti calidi ſunt, replere iudicantur. etenim ſine uini potu etiam tales ad caput prompte feruntur. Vſus igitur curationis eſt, quæ habeat ſcopum generalem quidem primum, omnium cõmunem uacuatione indigentium: quoniã uero uapores qui caput replerunt, calidi exiſtunt, uſus eſt auxilii, quod ipſos refrigeret: itaque ſi uinum crudum intus, ideſt in uentriculo permanet, iubere prius conuenit

eis, qui capite dolent, ut aqua tepida epota uomant. quod si etiam potest concoctionem doleant, refrigerantibus uti, & repellentibus oportet. postea dicit, quod si aliquando ex uaporibus, humoribusq. ad caput tendentibus reliquiæ aliquæ tenuibus impactæ meatibus restent, eoq. aliquid doloris perseueret, a rosaceo desistendum est; utendum uero primum camemellino moderate calido, post hoc irino. nam huiusmodi dispositiones uehementer adiuuat, in balneo caput aqua perfundendum, non solum ut aliquid eorum, quæ intra ipsum habentur, discutiatur, uerum somni etiam conciliandi gratia. Paulo post inquit. Post hæc ea, quæ caput magis calefaciunt, applicabuntur, miscendo irino unguento nunc amaracinum, nunc nardinum, nunc pretiosa, quibus opulentæ mulieres, etsi nihil mali habeant, uti consueuerunt. Ibidem quoque dicit Galenus, Habenda autem cura est somni, & quietis. Et paulo post subiungit. At si neque his remediis commode possint obdormire, in balneum postridie quamcitissime ducendi sunt, & aqua calida frequenter in eo superfundendi. deinde, somno conciliato, aut omnino quiete interna, rursus ad balneum secundo deducere oportet: deinde sic nutrire, ut die præcedenti. Hac in curatione complures habemus indicationes. una est, uapores, & humores in capite collectos euacuare: altera est, uinum, si quod in uentriculo crudum remanet, euomere: tertio loco refrigerare, ac uapores ad caput tendentes repellere: postremo, si qui uapores tenuibus impacti meatibus restent, eos resoluere. Et quia qualibet in curatione, cum plures simul habentur indicationes, ab ea, si nihil urgeat, principium capiendum est, quæ causæ rationem possidet: ideo Galenus curationem a uomitu uini permanentis in uentriculo cepit, subinde refrigerantibus, & repellentibus, uel puris, uel discutientibus mistis usus est, nouissime discutientibus. Auicenna cum de dolore capitis agit ab ebrietate, eandem habet sententiam: & Galenum, cum iuuet aqua

tepida epota uomere, interpretatur. Si æger uomere non ualeat, ut uinum in uentriculo crudum permanens, per secessum educatur: quod si neutrum fieri possit, iubet ut dormiat, donec digeratur quod in eorum stomachis continetur de uino. paulo post subiungit. Deinde fac eos dormire. & paucis interiectis ait. Administra eis somnum in quantum potes. Hac in curatione duo, quantum ad rem spectat, dilucide uidere licet, unum, quod somnus maxime conueniat, ne dum cum uinum incoctum in stomacho permanet, sed & postridie & perendie, quando discutientibus oleis utendum est: alterum, quod primo & secundo die, non prandium, sed cena dumtaxat exhibetur. Cum itaque principalis scopus sit, uapores in capite collectos minuere, ac eorum causas amouere; si pauciores in uigilia, per somnum plures ad caput uapores ascenderent, uti uigilia iuuaret, ita somnus noxius esset: & si a cena plures, a prandio pauciores ad caput uapores ferrentur, prandendum potius, quam cenandum fuisset. perperam itaque Galenus, & Auicenna somnum, tamquam fructuosum, commodum, & utilem, præcepissent, & cenam, neglecto prandio, consuluissent. Respondent aduersarii, non ideo somnum laudari, quod uapores capitis dolorem efficientes, in somno reddantur pauciores, & hoc pacto mitior fiat affectus: sed hanc ob causam somnum conferre dicunt, quoniam melior scilicet fiat uini concoctio: quod Auicennæ uerba manifeste declarant. dixit enim. Quousque digeratur quod in eorum stomachis continetur de uino. Respondent quoque, non propterea uesperi tantum cibum dari, quod ita pauciores gignantur in capite uapores, sed quoniam mane, ob ingestam maximam uini quantitatẽ, dolor intensius uigeat: concocto uero iam ad uesperas uino, dolore minus affligente, cibum dare cõmodum est. Prima responsio dupliciter refellitur, uno modo, quod non tantũ primo die somnus commendatur, quando uinum tum crudum est concoquendum,
 sed

ſed & ſecundo die, & ceteris deinceps diebus ſi morbus amplius perdurauerit: altero, cum principalis hac in curatione ſcopus ſit, uapores in capite collectos minuere, & uinum in ſtomacho crudum permanens, ſi per ſomnum concoqui debeat, plures ad caput ferantur uapores, ſi uero per uigiliam, pauciores: quis erit, qui pro uini crudi concoctione facienda, non potius uigiliam quam ſomnum eligat? quamuis enim per uigiliam minus proba fiat concoctio; uapores tamen, ut ipſi plane concedunt, pauciores quam in ſomnis ad caput feruntur. Altera ſua reſponſio clariſſime confutatur: propterea quod non primo tã tum die, cum dolor maxime premit, omittatur prandiũ, ſed altero quoque die ueſpere tantũ cibus offeratur. Quiſpiam fortaſſe melius reſpondens dixerit: Somnum hac in re tantopere commendari, ut dolor infeſtans amoueatur, cuius ratione uapores & humores ad caput attrahi ſolent: unde ſomnus dolorem infeſtantem remouens, maius affert hoc nomine præſidium, quam caput uaporibus opplendo nocumentum. Verum quia non ſolum premente dolore, ſed eo quoque leni, iamque ualde remiſſo, ſomnus præcipitur, quando pro recta curationis ratione doloris potius cauſæ, quam eius ſedatione foret attendendum: dicemus, hac in curatione ſomnum ualde laudari, non ſolum doloris mitigandi ratione, ſed ad eius etiam cauſas penitus amouendas, & ad capitis halitus, quantum fieri poteſt minuendos. Ex alio rurſus Galeni & Auicennæ loco poteſt opinio mea ſatis corroborari. Galenus curationẽ docere intendens, hunc in modum ſcribit in 2. de cõp. med. ſecundum locos cap. de iis qui ſtomachi uitio capite dolent. Nonnulli enim etiam ſi exiguus quidam in uentriculo, & præſertim ſi in eius orificio humor acris ſit collectus, illico capite dolent, eoque diutius a cibo abſtinẽtes offenduntur. augeſcit enim ipſis propter inediam talium humorum prauitas. Curari igitur eos, qui ſic infeſtantur, oportet, nihil capiti admouentes: ſiquidem neque ullum peculiarem affectum ſuſtinuit, ſed ab humorum uentriculi ua-

pores

pores prauos excitantium aſcenſu moleſtatur, ueluti alii ob eiuſmodi humores in ſuffuſorũ ſymptomata incidunt. quæ igitur curatio? noxios uentris humores quamceler- rime uacuare: uacuantur autem facile iis, qui ad uomi- tum procliues ſunt, aquæ potu; iis, qui ægre uomunt, dif ficilius: quippe nonnulli, etiam ſi digitis, aut pennis in os demiſſis, ad uomitũ incitent uẽtriculum, nihilo plus pro- ficiunt. talibus igitur protinus cibum boni ſucci, & ſtoma cho idoneum offerre conaberis, ſi fieri poſſit, lotis, ſin mi nus, ante balneum; tantum cibi exhibentes, ne, dum la- uantur, offendantur. ubi ſe refecerint, (textus græcus ha bet, ubi cenauerint) modicum abſinthii poſtero die pro- pinabitur: eaq. uictus ratione reliquo tempore ſuſtenta- buntur, ut concoctione probe functi, panis momentum circiter horam tertiam, quartam ue aſſumant, aut paulo maturius, aut tardius, ut ſatis interualli ſit ad conſuetam balnei horam. qui uero non poſſunt panẽ citra obſonium eſſe, his aut oliuam, aut palmulam, aut uuã, aut aliquid eiuſmodi dabimus, experientia id, quod optimum ipſorũ eſt, inuenientes. aliud enim alii ſecundum naturæ proprie tatẽ melius eſt. Porro, ad prauorũ humorum in uentricu lo redundantium tum concoctricis facultatis imbecillitas, tum oris uentriculi infirmitas plurimum conferunt, ſicut etiã ſenſus acrimonia, ad hæc caput eiuſmodi humorũ ua poribus ſuſcipiendis idoneũ, quẽadmodum nõnullis ocu- li. Cauſæ itaque doloris huius proximiores erunt, tum praui humores in ore ſtomachi collecti, tum uapores ab his humoribus ſurſum lati, tum caput imbecillũ ſuſcipien dis uaporibus aptum. Auiccẽna 1. fen. tertii tract. 2. c. 27. de dolore capitis ex his cauſis pertractans, ſententiam ſuã loco citato ſumit a Galeno. & quia Galenus quattuor cu- ratrices ponit indicationes, totidem quoque ponit Aui- cenna. Prima eſt, prauos in ſtomacho redundãtes humo res uacuare. Altera, rectam uictus rationem inſtituere. Et quoniam duas huius morbi cauſas affert Galenus, ſto- machi ſcilicet, & capitis imbecillitatem, duæ reliquæ cu-

ratoriæ ſe offerunt indicationes, caput ſcilicet, ne tam faci le recipiat, & uentriculum, ut perfectius concoquat, robo rare. Quæ de capite uentriculoq. corroborando dicuntur, perſpicua ſunt. quod uero ſpectat ad humoris noxii uacua tionem, Galenus quidem uoluit eos, qui ad uomitũ pro- cliues ſunt, aquæ potu per uomitum uacuari. ſi uero non facile uomant, abſinthiũ poſtero die propinare iubet, in- terim ſeruata uictus ratione, quam dicemus. Auicenna lo quens de noxiis humoribus ſtomachi, dixit. Oportet er- go, ur euacuentur per id, quod eſt eis conueniens, ideſt ſi facile uomant, uomitu; ſin minus, alio conuenienti mo- do: non ſe limitans ad abſinthium. Sed fortaſſe quiſpiam rationem quæret, cur non primo, ſed poſtero die datur ex abſinthio purgatio. Reſpondebimus, mentem fuiſſe Galeni declarare, nõ in cuiusque doloris capitis curatione ieiunium, ut Archigenes putabat, cõuenire: quinimmo cum dolor ex bilioſis humoribus in ſtomacho collectis ex citatur, eo diutius a cibo abſtinentes, offenduntur, quod augeſcit ipſis propter inediam talium humorum prauitas. Primo igitur die Galenus abſinthium nõ dedit, ne ex ine- dia, cum pharmaca ſumuntur oportuna, lõge maior læſio ſequeretur. conſimili quoque, fortioriq. ratione poſtero die non admouet abſinthium, niſi primo pro conſuetudi- ne cenauerint. Etenim prætermiſſa præter conſuetudinem cena, cum a pharmaco quoque ieiunare oporteat, tam longa cibi abſtinẽtia maximo poſſet eſſe nocumento. Pro- pterea cum uomitu prauos humores educere non licet, protinus cibum tum boni ſucci, tum ſtomacho commo- dum dari iubet, & cum cenauerint, poſtero die dari abſin thium, ut a ſtomacho bilioſi prauiq. uacuentur humores. Auicenna quando rationem uictus ordinat, poſtquam di- xit, Et afferatur cibus aggregans ad laudabilitatem eius, quod ab eo prouenit, uirtutem reſolutiuam (melior litte ra eſſet, confortatiuam) & recipientem digeſtionẽ, & ſi non poſſint ambæ condiciones haberi, quod cibus & bo- ni ſucci ſit, & ſtomacho idoneus, ut Galenus dixit, una

ſaltem

ſaltem eligatur, & melior earũ. poſtea ſubiungit, Et melior quidem hora, in qua cibandus eſt, eſt poſt introitum balnei: id quod etiam ſupra dixerat Galenus. deinde dicit, Vt ſerues aut obſerues eorum cenas: quaſi dicat, cenent omnino pro conſuetudine, ne per inediam prauitas increſcat humorũ. Hoc utique modo Galeno plane concors redditur Auicenna, qui ab eo hanc fere totam ſententiam accepit; & cum hoc alii non deprehendiſſent interpretes, in multiplices inciderunt expoſitiones: aliis quidem dicentibus cenam eſſe minuendam, aliis uero ex toto auferendam: quo nihil Galeno pugnantius eſſe poteſt, cuius aduerſus Archigenem ſcopus & propoſitum erat, cibi paucitatem in huius doloris curatione reprobare. Nam cum mane, quãdo cibus ante balneum dandus eſt, nihil aliud eſſe ſumendum uoluerit Galenus, niſi uel panem tantum, uel etiam cum oliuis, uel uuam, uel eiuſmodi aliquid, quod prodeſſe ſit experientia comprobatum; ſi cena parcior aut nulla danda foret, utique cibi paucitas hac in curatione conueniret: quod tamen refellere Galenus ſibi propoſuerat. Cum igitur in huius doloris curatione, quem praui halitus, a ſtomacho ad caput lati, pariunt, prandium parcius, cena plenior accommoda ſit; identidemq. in morbo comitiali, ac attonito ſit oſtenſum, nec non etiam in ebrietate: quis non dilucide uidebit, ac iudicabit, prandium parcius, & cenam pleniorem in capitis paſſionibus omnino conuenire? Quod uero in huius doloris curatione, leuius prandere, liberalius cenare, ſit ex uſu, ex Galeni uerbis ſupraſcriptis latiſſime patet: ſiquidem mane uel ſolum panem, uel etiam oliuas, aut aliquid eiuſmodi offerebat: ueſperi uero cenam dabat conſuetam, & tantam, ut is, qui capite doleret, cibi paucitate non uteretur. Dixerit fortaſſe quiſpiam, Galenum loco citato non curationem, ſed potius præſeruationem docere, quemadmodum cum ait 6. de ſanit. tuenda. Sunt capita, quæ propter arteriarum temperamentum in uertigines (quæ græce ſcotomata uocant) & capitis do-

lores

lores incidunt, in quibus etiã arterias incidere solemus: sed hoc genus propositæ artis limites egreditur. qui tamẽ ex nimis acuto neruorũ sensu assidue dolẽt, qui a capite or si plurima sui parte os uẽtris texunt, pars etiã ad reliquũ uentrẽ descendit, iis sane mederi propositæ iam artis officium est: potius tamẽ consiliũ est id agere, quominus hæc ullo modo incidant, cauẽdo ne aut biliosus humor in uentrem prorsus cõfluat, aut quãcelerrime inde expellatur. atque ut ne prorsus quidẽ confluat cõsulueris, si citius cibum exhibeas. ubi enim totius corporis biliosius temperamentũ est, uenter imbecillus, utique cibo qui uentrẽ roboret (seu stomachũ græci uocant) firmari postulat. ubi enim ita nõ prospicitur, defluunt in eũ, quas corpus aceruat, superuacuæ sanies, quos græci icores uocant. ex quarum uapore nõ solum capitis dolores nõnullis oboriũtur, sed etiã suffusorũ, quos hypocheones uocant, symptomata; aliquibus uero & comitialis cõuulsio. horum itaque omniũ uniuersa uictus ratio ad frigidius potius, humidiusq. mutanda est. Quod autem in uentrem confluit, id uomitione, ac uentris solutione expellendum est. Stomachus uero cibis quidem quotidie prius quam bilem contrahat firmandus: purgetur uero medicamentis ex maiore interuallo absinthii coma, & compositione ex aloe, quam picran uocant &c. Verum his in locis Galeni propositum esse non solum, quo minus hi dolores incidant docere, sed etiam quo modo præsentes amoueantur, tã late patet, ut nulla ulteriori declaratione indigere putem. Illud enim nos omnino probare contendimus, in capitis iam facti doloris amotione, ex prauis a stomacho sursum latis uaporibus exorti, parciore quidem prandio, pleniore uero cena utendum esse. Illud commune dictum, Esuriant, sitiant, uigilent qui rheumata curant, hanc nostram determinationem comprobauit: id quod Auicenna quinta tertii cap. de cura catarri 5. tertii cap. de cura catarri in hunc modum dicebat. Neque dormiat in die, & sitiat, & famem patiatur, & uigilet quantum

potest:

poteſt: quoniam ſunt initium curæ. Paulo poſt dicit. Et oportet etiã ut tolerent ſitim, & frangant eam cum commiſtione syrupi de papauere, & aquæ. Deinde ſubiungit. Et ad ſummum oportet, ut minuant comeſtionem, & potum aquæ. Si quis auté multum cibi, potusq. in prandio, parum in cena caperet, neque ſitim, neque famem tota die pateretur, non interdiu propter prandium plenius aſſumptum, longe minus noctu ſuccedente ſomno. ſi uero parum cibi potusque mane capiant, interdiu uigilabunt, ſitim, famemq. patientur, fortaſſis aduerſarii dicent illud commune dictum, non quod ueram ſitim, famemque patiantur, & illa triſti ſenſatione fatigentur, ſed illud tantummodo nobis indicare, in catarri curatione parce tum bibendum, tum edendum eſſe. Sed quid opus erat Auicennam dicere, Et oportet etiam ut tolerent ſitim, & frangant eam cum commiſtione syrupi de papauere, & aquæ. paucitatem nanque cibationis, & potus, non eo modo frangendam eſſe, nemo eſt qui neſciat. Et quid opus erat Auicennam ſubiungere, Et ad ſummum oportet ut minorent comeſtionem, & potum, ſi famem ſitimq. pati, & cibnm potumq. minus capere, unum & idem penitus eſſe putant? Quinimmo fieri poſſe nos dicimus, ut quis parce cibum, potumq. capiat, & tamen neque ſitim, neque famem patiatur; & contra ſiti, fameq. fatigetur, & tamen multam & cibi, & potus accipiat quantitaté. illud ſæpe uidemus, & potiſſimum contingit, cum quis parum & ſæpe tum comedit, tum bibit: hoc autem eueniet, ſi quis tota die ieiunans ueſpere multum potus, & cibi ſumere conſueuerit. nedum igitur hac in curatione ſiti, fameq. fatigari conuenit, ſed etiam parum comedere, & bibere, plurimum iuuabit. Et cum hæc diuerſa ſint, non eſt ueriſimile ueteres unum per aliud intellexiſſe. At quiſpiam fortaſſis interrogabit: Quid utilitatis in catarri curatione triſtis hac in ſiti, fameq. ſenſatio poteſt afferre? Certe non aliam, niſi quod alimenti paucitate tum ex uſu eſſe indicatur cũ uigilamus. etenim licet hac in curatione

medicus intendat redundantes superfluitates uacuare, atque exiccare, necessarius tamen est aliquando somnus, ut spiritus in uigiliis exiccati reficiantur, & humectentur. Cum igitur in catarri curatione nunc exiccare, nunc humectare medicus cogatur, potissimumq. noctu ex somno coactus sit humectare; necessarium est, ut interdiu diligenter exiccare procuret. id autem commode fieri non poterit, nisi in prandio paucitate cibi, & potus utendum censeat, ut æger & uigiliis, & cibi, potusq. paucitate, tam fame, quam siti fatigatus exiccetur. Quippe si plenius offeratur prandium, æger interdiu noctuque semper humidus reddetur. at cum somnus humectet, itidemq. plenior cena faciat, extimescet quis, ne simul his iunctis plus æquo fiat corpus humidum: id quod tamen nulla ratione timeri debet. Siquidem somnus non ex se ipso spiritus humectat, sed quod in eo melior fiat alimenti cõcoctio, & resolutio, quæ per uigiliam fit, prohibeatur. etenim, ad præter modum pingues extenuandos, a balneo in ieiunio somnus adhibetur. Huic sententiæ subscribit Actuarius, qui quando cerebrum semper humectare sibi proponit, alimento diurno trifariam diuiso, duas in prandio partes, tertiam propinet in cena.

Dixi quo modo tam in aduersa, quam in secunda ualetudine cenam prandio copiosiorem dare oporteat: nunc diligenter est excutiendum, nũqnid cõsueto plus prandere, & minus cenare, tam ægro, quã sano, tam iuueni, quã seni, tam libero, quam in seruili uita constituto, pristinã liceat mutare consuetudinem. Quod ueteres consuetudines non sint repente permutandæ, clare scripsit Hippocrates 2. de rõne uict. in acu. tex. 21. Atqui quod uitiosus tum cibus, tum potus, semper sibi similis ad sanitatem tutior sit, quam si quis subito ad alterum uel meliorem se transferat, facile discitur, intelligiturq. Galenus quoque in commento dicit. Magnæ & repentinæ præter consuetudinem mutationes non paruam sanis afferunt læsionem. & in commento præcedentis textus dixerat. Si bene ua-

lentibus læſionem afferant repentinæ uictus ad contraria mutationes, multo magis ægrotantibus ipſis. Hipp. quoque de permutationibus ad inſueta loquens ait. Sed quod paulatim fit, tutum eſt, tum alias, tum cum ab altero ad alterum tranſitus fit, Galenus ait in commento. In hiſce igitur permutationibus quod plurimum exiſtit, atque repente, periculoſum eſt ſatis: quod uero paulatim fit, tutum.

Ex his latiſſime patet, repentinas omnes ad inconſuetas permutationes cum ſanis, tum magis ægris afferre læſionem. Quod uero neque paulatim ueteres ſint conſuetudines permutandæ, Galenus 5. de ſanitate tuenda, de ſenibus loquens in hunc modum dicere uidetur. Vtilius uero his eſt, & conſueto opere exercitari, etiam ſi modice noxium ſit: contra iuuenibus, ea mutare quæ nocent tentandum eſt, etiam ſi a pueris his maxime inſueuerint. poſſunt enim eorum uires moderate factam mutationem ſuſtinere: ſperariq. poteſt, in reliquo uitæ tempore fructum aliquem eos ex meliori conſuetudine percepturos. At ſenex ſi poſſet longo tempore ſenſim malam conſuetudinem permutare, propterea quod quo tempore meliore frueretur habiturus non eſſet, fruſtra laborem inſumeret, non aliter quam ſi quis artem diſcere quampiam octogenarius inciperet. Paulo poſt ait. Ergo neque aſſue tudines ipſæ, tametſi prauæ ſunt, diſplicentibus adhuc ſibi corporibus mutandæ ſunt, (intellige, nec ſenſim, nec repente) quin nec per ſummam ſanitatẽ ſemper id tentandum, ſed tum cũ is, cui immutãdæ ſunt, a ciuilibus negotiis maxime uacat. Aperte docet hic Gal. neque ſenibus, neque ægris, neque ciuilibus negotiis occupatis, neque ſenſim, neque repente priſtinas eſſe cõmutandas conſuetudines. Vnde nonnulli certiſſime putant eſſe concludendũ, ſi quis ſemper aſſuetus eſſet bis die cibum capere, uel æqualiter, uel in prandio pleniorẽ, huic inſtante ſenectute nec ſenſim, nec repente priſtinã eſſe uariandam cõſuetudinem: & quemadmodum ægris, aut in negotioſa uita

cõſtitutis naturale temperamentũ permutandum eſt num quã, ita neque his cõſuetudo mutanda, cum ſit altera natura. Quod uero ne dum paulatim, ſed repente mutanda ſit interdum cõſuetudo, cum plurimis auctoritatibus, tum uel maxime rationibus, omni luce clarius, firmiſſime cõcludemus. Hippocrates 2. de ratione uict. in acu. text. 18. eos potiſſimum redarguens medicos, qui languentes ipſos per initia morborum duos, uel tres, uel etiam plures dies inedia ſiccabant, ſubindeq. tum ſorbitiones, tum po tns exhibebant, ait. Verum mutatio ipſa (dietæ ſcilicet cõ ſuetæ) bene quidem habet non parum, ſed recte transferenda uenit. Non igitur, ut paulo poſt ait 2. de rõne uict. in acu. tex. 32. intempeſtiue neque fortes uaſorum inanitiones moliri, neque cum morbi uigent feruoremq. habent, cibum dare, neque repente huc uel illuc in toto ne gotio quidquam mutare licet. Poſtea ſubiungit 2. de ratione uict. in acu. tex. 35. de iis loquens, qui, bis die cibũ capere conſueti, ſemel capiunt: & econtra. Nempe his uictus mutatio facta eſt, corpore neque ad robur ut cibos adiicere, neque ad infirmitatẽ, ut cibos diminuere oporteat, haudquaquam permutato &c. Clare his in locis uult Hippocrates ſi quis febre corripiatur acuta, permutandam eſſe ſui uictus conſuetudinem, modo recte fiat hæc aſſueti uictus immutatio: tum uero recte fiet, ſi neque carnes, neque uinum ut in ſanitate conſueuerant, offerantur, ſed uel ptiſana, uel ptiſanæ cremor adhibeatur. ſi non, triduano ieiunio languens ſiccabitur, ſi in morbi uigore cibus non dabitur: ſi non, repente de cibatione ad inediam, & contra de inedia ad cibationem tranſitus fiat, ut in ieiunio fieri ſolet triduano. In ſanis uero corpore, neque ad robur, neque ad uirium imbecillitatẽ permutato, uictus aſſuetudo non neceſſario permutanda uenit. Subitã igitur conſuetudinis immutationem laudat Hipp. in iis, qui morbis corripiuntur: id quod & omnes probi medici laudant, & exequuntur: ſiquidẽ ſubito de ui no ad aquã, de carnibus ad ptiſanam tranſitus fiat. Si quis

uero

uero sanus ad uirium imbecillitatem permutetur, ut ætate progrediente, iamq. ingrauescente fieri solet, non damnat Hippocrates consuetudinis immutationem. inquit rursus Hippocrates 2.sect.Aph.50.& 51. Oportet igitur ad insueta permutari, idque paulatim, non subito, faciendum est. Galenus in comm.sic ait. Quod in fine scribitur, in quo consulit transmutari quodã modo ad inconsueta, salubris gratia securitatis dictum est. est enim unica tantũ consuetudo periculosa: cum omnes homines inopinatis rerum sortibus subiiciantur. Ne igitur incidamus aliquando repente in nobis insueta, satius esse inquit omnia tentare. manifestum igitur est, assuetudines & subito, & paulatim mutandas esse: idque nedum ægris, sed sanis, nedum iuuenibus, sed in ultima & extrema senectute constitutis, ex Galeno dilucide comprobatur, cum ait 5.de sanit.tuen. Similiter igitur se habet in cibi tum qualitate, tum modo, quippe in quibus senes si breue quippiam trangressi limites sunt, non leuiter læduntur, cum iuuenes uel ex maximis erroribus minimum noxæ sentiant. Ergo tutius est imbecillo seni exiguum dare ter die, sicut Antiochus medicus solitus est se cibare. Idem paulo post de Telepho grammatico dicit. Si quis itaque diu bis die capere consueuisset, & ad imbecillem senectutem deuenisset, huic ueterem mutare consuetudinem expediret, ac non bis, sed ter die cibum capere conueniret. Hoc idẽ summa constantiq. ratione comprobari potest, eo prius assumpto, tanquam manifesto, quod ex malis medicus eligere minima debet. Quare si contingat, ut, amouere consuetudinem, lædat, eam uero seruare longe magis noxium sit; absque omni controuersia consuetudinem medicus immutabit. nam quæ minus offendunt, eligere semper oportet. id autem tam languentibus, quam sanis, tã iuuenibus, quam senibus accidere sæpe uidemus. Etenim qui uinum potens bibere diu consueuerit, si in acutam ac uehementem febrem incidat, etsi, præter consuetudinem bibere aquam, non nihil offendere possit, in uini tamen

potentis

potentis potu perseuerare, longe maius afferre nocumentum nemo dubitat. Et proinde probi medici omnes, ut supra dictum est, conuenerunt, ex potu uini ad potum aquæ, ex carnibus ad ptisanam, uel panem ex aqua transeundum esse. Pari ratione, si quis per ætates suas bis die cibum capere consueuerit,& iam ad imbecillem deuenerit senectutem, licet fortasse sine labore, sine læsione uetus consuetudo uariari non possit, eam tamen obseruare longe deterius est, ubi senex imbecillus tantum nutrimenti, quantum pro sui refectione desideratur, bina concoctione non probe ualeat elaborare. tum enim sibi ter die cibus dandus est, sicut & conualescentibus infirmis dabat Galenus 7.de morb. cur.c.6. Concluditur igitur, ægris, conualescentibus infirmis, senibus imbecillis pristinam fore ex necessitate mutandam consuetudinem. In his tam uariis, ac inuicem fere pugnantibus auctoritatibus,rationem pro determinatione sequemur, & pro earum conciliatione dicemus cum Galeno 2. de temperam.& 8.de de morb.cu. in fine, Consuetudinem acquisiticiam esse naturam, quæ de sui semper indicat conseruatione, & sine difficultate, sine labore, sine quapiam læsione, tanquam natura quædam commutari non potest,minoreque cum noxa sensim, quam repente,mutari solet: quandoq. tum ea mutare medicus compelletur & sensim, & repente, ut uel maius euitet nocumentum, uel noxa maiorem consequatur utilitatem: unde non sequitur, Mutatio consuetudinis lædit, igitur mutanda non est. nam læsio minor eligitur, ut maior euitetur. at ubi nec maior est offensa cauenda, nec maior nocumento sequitur utilitas, permutanda uetus est consuetudo numquam, multoq. minus tum permutanda uenit, cum nedum commoditas, sed inde maior sequitur offensa. His ita se habentibus, omnes concordantur auctoritates. Hipp. 2.de rõne uict.in acu.tex.21.in ea auctoritate, Antiqui, quod uitiosus tum cibus, tum potus &c. de sanis loquitur, in quibus aperte paaet, uictum consuetum subito,nulla re cogẽte, mutare nocuum esse. In commentis

mentis uero Galeni ſubinde citatis, magnas & repentinas præter conſuetudinem mutationes ſanis & magis ægris læſionem afferre docet: eas tamen fieri non debere, nec ſequitur, nec uerum eſt. Quod poſtea dixit Hippocrates 2. ſect. Aph. 50. 51. Permutationes ad inconſueta repentinas, eſſe periculoſas: & ſenſim factas eſſe tutiores, uero uerius eſſe, nemo eſt qui neſciat. Quæ uero ſubinde Galeni 5. de ſanit. tuen. citatur auctoritas, multum difficultatis, & laboris afferre uidetur: cum iuuenes malas pedetentium mutare conſuetudines conſulat, & contra ſenes, etiam quod id paulatim facere poſſint, prohibeat. Verum ſi quis diligentius conſideret, Galeni ſententiã clariſſimam eſſe deprehendet. Si quis enim ſenex, uel quinquagenarius, ueterem ſuam commutare conſuetudinẽ uelit: certe ſine labore, ſine quapiam læſione facere non ualebit: ubi nulla re cogente permutata ſenſim cõſuetudine, ſenex ille non maiore, quam fuerit læſio, frueretur utilitate, procul dubio laborem illum fruſtra ſumpſiſſet: non aliter quam ſi quis artem diſcere quampiam octogenerarius inciperet. De cõſuetudine exercitationum in ſenibus uarianda loquitur ibidem Galenus. & cum inſolitæ exercitationes fortiores ſemper expoſtulent uires, in ſenibus autem maior aſſidue fiat imbecillitas; non erunt in ipſis ueteres exercitationum aſſuetudines immutandæ: ubi res urgeret, uel ut maior euitaretur noxa, uel certe maior nos promoueret utilitas, prout in conſuetudine modi uictus mutanda contingit, utique tum ſenibus aſſuetudinem uariare licebit. Cum itaque ſenibus paucus inſit calor innatus, nec tantũ cibi, ut iuuenes, concoquere ualeant; eis omnino nutrimentum minuere oportet, quod, dum iuuenes eſſent, ſumere conſueuerant. id quod his uerbis dicebat Hippocrates 1. ſect. Aphor. 14. Senibus paucus calor ineſt: paucis itaque fomentis indigent. Cogimur igitur minus conſueto ſenibus alimentum dare, & ita ueterem conſuetudinem uariare, ut aſſiduam nutrimenti cruditatẽ fugiamus, quemadmodum ſenibus quoque imbecillis ter die cibum

dare

dare compellimur. Et cum ſit omnino nutrimentum diminuendum, uel prandium ſolummodo, uel cenam, uel ambo minuere oportet: ſi alterum dumtaxat extenuandũ ſit, ſatius eſſe prandium, quam cenam remittere, ex iis, quæ ſupra declarata ſunt, latiſſime patet. neque melius eſt ambo minuere, cum alteram dumtaxat conſuetudinem, quam duas, uariare præſtet. Quod ſi cenam quoque diminuere cogeremur, quoniam conſuetam cibi quãtitatẽ ſtomachus elaborare non poſſet, utique prandium plus, cenam minus remitteremus. quæ poſtea docet Galenus de languentibus, & de ciuilibus negotiis occupatis, quod ipſis non ſint immutandæ conſuetudines, pariter intelligendum eſt, niſi quippiam cogat, aut certe læſione maior ſperetur utilitas. Cum ex dictis latiſſime pateat potiorem indicari conſuetudinem, cenam prandio pleniorẽ capere: cumque iuuenes poſſint, & debeant aſſuetudinẽ malam ſenſim permutare, ut ex quinto de tuenda ſanitate ſupra dictum eſt; ſenes uero cogantur aſſuetum uictum mutare ut demonſtrauimus: certiſſime & clariſſime ſequitur, quod tam iuuenes, quam ſenes, qui conſueti ſunt uel æqualiter prandere, & cenare, uel prandium cena plenius accipere, ad meliorem ſe conſuetudinem ſenſim permutare debent; ac in ultima ſenectute, cum ſenes imbecilli ſunt, ter die cibũ capere, melius eſſe cum Galeno collaudamus. id quod etiã in cõualeſcentibus obſeruare oportet.

FINIS

